

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10



Bono cum Deo
DISPUTATIO JURIDICA
De

1649 14
/—

DEFINITIONE ET
NECESSITATE ICTI,
EX PRINCIPIIS JURIS NA-
turae & Gentium,

Ad

*Prefationem Hippolithi à Lapide, libri,
cui Titulum fecit; de*

RATIONE STATUS

Quam

PERMISSU NOBILISSIMI AMPLISS.
JCTORUM ORDINIS

*Impetrandis Sacratiss. Imperatorum in Juris Studiosos
beneficiis privilegiisque*
P. P.

Calend. Decemb.

GEORGIUS MELCHIOR THILO.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS PHILIPPI MÜLBI,
ET JOSIAE STÄDELI,

Anno M. DC. XLIX.



GENEROSISSIMIS NOBILISSIMIS VIRIS
IUVENIBVS

DN. CORNIFICIO à ROSENKRANTS,
Equiti Dano.

DNN. THOMÆ }
& KNESEBECKIIS, Equit.
HEMPONI } Marchicis.

Fautoribus & amicis suis honoratissimis
salutem plurimam



Nus est quod impono vobis Generosissima Pectora dum vos pu-
blicos deprecatores constituo vel audacia vel inscitia mea, pre-
cor hanc personam non inviti induatis; necesse habui à vobis pe-
tere isthoc officii, quod hic filius ante partum sui nasci voluit, &
matrem praveniendo ex doloribus solitis præcipit averit in abortum. Ideoq; di-
cite quæso amicis, hospitibus, doctis, indoctis pro me ea bona verba, quæ olim

Celt. lib. XI.
cap. 8.

A. Albinus pro se ipso dixit; Neminem mihi succensere convenire, si quid in his
pagellis parùm compositè, aut minus eleganter scriptum foret. Nam sum, fa-
teamini, homo Germanus natus ad Sylvam Hercyniam, Latina Oratio a nobis
alienissima est. Ideoq; si quid erratum est, veniam male existimationis me po-
stulare. Sat scio Nobilissimi Iuvenes vos pro affectu in me, ornatos munus
hoc meum verbis. Et reperietis, spero qui probent. Nam hodiè, quo quis indo-
ctior, eò fortius scribere existimatur. Non credo vero Catonem vobis obviam
futurum. Et si tamen occurset, opponatq; illud suum: Na tu Aule nimium nu-
gator es, cum maluisti culpam deprecari quam carere culpâ. reponite ô Cha-
rissimi gravissimo Censori; me bonum factum, ipsius quoq; calculo veniâ dignû
videri, cum compulsus peccaverim & constrictus tempore. Nam

ex temporalem fata me tantum volunt.

quod vero ad vos attinet, Generosissimi Iuvenes, solâ tenuitate munusculi spe-
ravi me impetraturum, ut ne reiiceretis. Valete & vivite in spem ævi me-
liores: & favete.

Vestro

Devoto

G. M. Thiloni.



G. M. THILONI

Amico meo honorando.



Iva, quam vectam superas ad oras
Novimus mentes meliore luce
Tingere, ut vitent scopu los profundo in
JURE latentes.

Cernis ut livoris iners venenum
Et tibi sacras animas laceffat;
Dum tuum falso simulare suetos
Nomen honore:

Quosque ab augustis adytis repulso
Spernis, & vulgo annumeras inepto,
Jungere his audet merito omnis orbis

Quos colet ætas
Cernis ut docti ingenium THILONIS
Afferat veras tibi, Diva laudes,
Vindicet quos esse tuos alumnos
Læta fateris.

Huic scio (sit justa nefas rogare
Velle Te quæ juris origo es ipsa)
Sponte victrici decorare perges
Tempora lauro.

Robertus Kœnigsmannus.







PROOEMIUM.

Ndignabantur exteri, Germanorum
Remp. à tot seculis inclytam, nemini
gravem, contentam suis, omnibus for-
midabilem si casus ferret, stare tamen securam
sui, & Augustam Majestatem tueri: turbatam
etiam & partibus fractam, atq; occasione aper-
tam hostibus, loco motam, protritam, denique
nihil minus quam servitutem extimescere, nec
recusare veterem vastitatem, modo libertatem
retineat, quâ nihil antiquius; conatamq; adeo
ipsas turbare, quæ parabantur, exequias, & ex
cadavere sui munimenta struere, & ad bustum
obluctari, nec post interitum spiritum ponere
velle videri. Testati Deos hominesque hostes
nec tela nec remedia vulgaria proficere; quod
benè vertat, rem post Orbis initia illaudatam
aggredi statuunt, Opinione vincere tentant.
Non ignari Romanos olim rerum Dominos,
non majori succubuisse malo, quam portentosis
& molitis opinionibus, & turpissimis moribus,
A ipsa

Baron. in
ad ann Ec-
cles. appar.
n. 7.

Tac. de
mor. Ge.

ipsa natura jura labefactantibus. Scilicet ulti-
ma Coelestum terris Astra pellenda erat, hac
una obstabat: huius Germani ab incunabulis
alumni, hanc bonis moribus, bonis legibus à
Manno & Tuiscone usque coluerant, sic vi-
vendum Germanis sic pereundum. Hac Dea
evocatâ videbatur non multo difficilius casura
Germana res quam olim Vejentana, postquam
Camillus Junonem reginam Romam evocasset.
Sed ne indignitas rei, nudè & sine fuce prolata,
offenderet Germanorum Candida pectora &
Deo grata, rem ex se detestabilem plausibilibus
& comitis in speciem verbis obvolvendam ra-
ti, veterem querimoniam & in vulgus valitu-
ram repetere, dicere corrupta iudicia, miserari
concidisse prudentiæ antiquæ masculinæ decus,
haud aliter atque eloquentiæ judiciariæ quoque
regula steterit, obmutueritq;: causam esse (ver-
ba Hippoliti auditis) Legum varietatem, ac
multitudinem, Legulejorum ac Legistarum, eo-
rum scil. qui legibus & juri privato operam
dant, nimiam in Rep. autoritatem. Inde, quod
semper in Rebusp. adeò omnibus & mali fuerint,
& mali cives, quibus decipiendis nihil in spe-
ciem

ciem fallacius opinione de rebus sanctis sit aut fuerit, sperare hostes, se partim tracturos, saltem tadium Reip. tam exulcerata, & minus presentium studium, novarum rerum cupidinem animis accensuros.

At Hippolithum à Lapide, quisquis ille sit, oportet virum doctum & callentem esse, quem meliori aeo natum oportuerit, ne hostis Germanorum esset; quin imò nos humanius posteris hoc servabimus iudicium, & magistro presentium venturo diei. Sed legum studiosis pro Rep. eam, qualiscunque subeunda est, invidiam gratam atque acceptam esse, lato & alacri animo suscipere notum facimus. Nunquam impensius commendari Reip. potuissent, quam qui sic ab hoste reprehenduntur. Eo ipso prodis felicitatis Germaniae salutisq; Imperii unicum fundamentum, leges esse, & legum custodes sanctissimos Viros, quos tu contemtim leguleios appellitas, quod nisi his sublatis exteros Germania dominaturos, & aeternam huius populi Rempub. everfuros desperas. Nam ita interpretando Luporū iniqua postulata fabulator olim Phrygius, quid per canum capita peteretur, edocuit.

Hippol. prope finem dicit se spernere contra discentes ut

A 2

Legum



Generosus
equus la-
tratus sa-
rum.

Legum vero studiosi, ut omnia Reipub. debent,
non gravabuntur breviter repetere mecum
quid sit Jctus vel legista 2. quam Reip. neces-
sarius. ex quibus capitibus objectionibus Hippo-
lithi fortè satisfiet sua sponte.

T H E S I S I.

Primum igitur quod attinet, ut quid sit legista appareat
planius, altius paulo res arcessenda est. nominatur nisi
fallor à lege, ut Psalmista à Psalmo aut simile quippiam.
Lex porro apud Latinos quidem à legendo est, ut apud Græ-
cos, à suum cuique tribuendo. Nam ut hi æquitatis, sic illi
delectus vim in lege ponunt. Sed in idem redit utrumque,
deligentibus his ea quæ æqua & justa sunt, illis tribuenti-
bus. Unde Lex nihil aliud, utriq; genti, quam justorum in-
justorumque distinctio, ad illam antiquissimam & rerum
omnium principem expressa naturam.

2. Nam cum Alma mater hominem ad civilem so-
cietatem destinasset, necessarium erat, ipsi suppeditare ea
quibus eandem communitatem ligaret ac constringeret
inter eos qui soli esse non poterant. Ut enim Harmonia,
ex temperatione gravium acutarum mediarumque vocum
conciunnata, tantisper conservatur, dum certa manet pro-
portio & numeratus concentus; illâ pereunte aut offendente,
illico dissipatur ac dissolvitur: sic communitas illa quam
inter homines natura voluit, ex pulcerrimo ordinum, di-
gnitatum, officiorum connexu unitâ componitur, discor-
diâ maximè dilaberetur.

3. Scilicet naturæ solitariæ tum demum rectè con-
servantur, cum aliquis principatus eis inest. Sicut maxi-
mum illud, quod Mundum à nitore, *Κόσμον* ab ornatu ap-
pellitant, unus Optimus, Sanctissimus, Sapientissimus, Po-
tentis

rentissimus omnium Dominus regit Deus, cujus unius nutu frantque caduntque creata omnia. Sic humana societas uno duce optimè & beatissimè regitur, ut imitantur omnia summum, creata creatorem.

4. Porro unus ille dux qui regat nobilissimas creaturarum homines, & societatem horum præstantissimam, sine dubio debebat esse 1. justissimus Arist. 5. Polit. 9. in pr. cum ut custodiat optimam societatem felicem tranquillamque datus sit, nec possit custodire sine vinculo, quod faciat maxime unum, hoc est ἀναλογίας æqualitatisque quam justitiam vocant. Ergo debebat esse integer vitæ scelerisque purus & ut Eurip. ait.

Τοῖς μὲν δικαίοις ἐνδικῶς, τοῖς δὲ αὖ κακοῖς
Πάντων μέγιστος πολέμιος κατὰ χόλον.

5. Deinde oportebat Ducem hujus societatis civilis prudentem etiam & sapientem esse Arist. cit. l. cum providere communitati humanæ deberet, ne quid damni ea faceret, ne faceret vitium. Ut enim Græci eleganter ἀνὴρ ἀγαθὸς κοινὸν ἀειδόν.

6. Ut paucis complectar rem totam; Cum hic quode agimus custos & princeps societatis humanæ vocitetur, facile apparet eum omnia ea possidere debere, queis sine res humana consistere nequit. Unde eum potentissimum esse oportet, ut manus justitiæ vocitetur, & humanissimum, ut omnibus placeat; Clementem quoque, ut sit delictium generis humani.

7. Itaque cui omnia ista adsint is erit dux atque Imperator mortalium, quod est ipsa recta ratio; quæ iterum ipsissima Lex est, quippe cujus forma ratio est, & ut dicitur anima. hæc præstat ac præscribit utilia, & ut Chrysippus ait
Ο νόμος πάντων ὅτι βασιλεὺς θεῶν τε, καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων. δεῖ δ' αὐτὸν προσάτην τε εἶναι τῶν καλῶν, καὶ τῶν ἀγαθῶν, καὶ ἀρχόντα, καὶ ἡγεμόνα καὶ κατὰ τὸ τοῦτον κανόνα τε εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων καὶ τῆς φύσεως πολιτικῶν (ῶν, προσαιτικῶν μὲν, ὧν ποιοτέον, ἀπαρρηστικῶν δ' ὧν ἔπι ποιοτέον. Hæc sola caret
his

iis, quæ homines turbant, gaudio, timore, irâ, voluptate &c. ut sola regula tutissima esse possit. Unde Aristotelis sententia est, solos eos Deum præficere actionibus humanis videri, qui legem præficiant; qui homines, belluam. Imo societatem eam cui hæc regina non præsit Rempub. plane non esse, cum lex omnibus imperare debeat. 4. Polit. c.4. nec minus præclare, Cicero legem magistratui, populo magistratum præesse; vereq; dici posse magistratum esse legem loquentem, & legem magistratum mutum. & alibi: Lex, inquit, quam Dî humano generi dederunt, est ratio mensq; sapientis. ut Poetarum Princeps

11. u.

ἢτε θεμιστας πρὸς Διὸς εἰρῆται.

8. Lex igitur, quod ex hæctenus dictis liquet, est vinculum, custos ac princeps humanæ societatis. Ergo, & imò maximè, perfectæ societatis, quæ civitas est. quia ea ut Arist. c.2. 1. Polit. ait, est ἐν πλείονων κοινῶν κοινωνία τέλει. πάντας ἔχουσα πέραις τῆς ἀνταρκείας. γινόμενη τῷ ἄλλῳ ἕνα καὶ τῷ ἐν ἑαυτῷ. Unde ab eodem Philosopho Justitia civilis res vocatur. eumque qui primus civitatem Instituit maximorum bonorum autorem & causam fuisse tradit subjiciens: Quemadmodum enim homo suis omnibus numeris absolutus animal est animalium optimum: ita à lege & jure semotus, omnium deterrimum. χαλεπωτάτη γὰρ ἀδικία ἔχουσα ὄπλα. At homo armis instructus nascitur prudentiâ & virtute: quibus ad res contrarias maximè uti licet. Qua propter sceleratissimum & immanissimum animal est sine virtute &c. eodem pertinet quod Martianus noster ex Demosthene legem vocat, non solum inventum ac munus Dei, sed etiam decretum prudentum hominum, & cōmunem sponsonem civitatis &c.

9. Eleganti similitudine hoc ipsum illustrat Fr. à Victoria relect. 3. de Civili potestate n. 5. Sicut corpus humanum in sua integritate servari non posset, nisi esset aliqua vis ordinatrix, quæ singula membra in usum reliquorum, maximè in commodum totius hominis componeret, sic ex

fic ex illo ipso quod Deus hujus naturæ & conditionis ho-
mines constituit, ut nisi in societate vivere non valerent,
etiam vim aliquam & potestatem gubernantem & provi-
dentem sancivit, sine quâ illa Respublica non duraret, ex
reg. qui dat formam, dat & formæ, consequentiæ.

IO. Ex quâ commendatione simul efficitur, cum qui
leges salutare ferre velit, totius Reip. naturam partesque
ipsius, vires, officia, exactè cognita ac perspecta habere de-
bere, non modo de Platonis autoritate qui præcipuè primo
dell. ostendit Legislatori tenendum ante omnia Reip. sta-
tum, inde mores & ingenia civium masculorum foemina-
rum, juvenum, senum, nuptias, educationem, voluptates
& cupidates, studia officia, expensas, honestum turpe &
omnes motus omnesq; actiones &c.

II. Sed ratipne ipsâ etiam, & aliarum plerarumque
artium exemplo. Nec enim Geometra contemplatur affe-
ctiones, nisi cognitâ qualitatis continuæ naturâ, partibus,
differentiis. Nec Astronomus quantitatem mobilem, sine
totius hujus egregiæ machinæ, quam cœli ingentes forni-
ces dixit Ennius, structurâ, ejusque partium contemplatio-
ne, eadem in aliis. Ita jam non minus diligentia atq; ope-
ræ ponendum est cum de sanciendo legibus agitur, quia
salus Reip. in his constituendis est posita. ut ait Arist. i. Reth.
c.4. quamobrem, pergit ibidem, primum nosse oportebit,
quot sint Reip. status & formæ; deinde quæ huic confe-
rant arque conducant; tum demum cognoscere quibus
quæque deleri evertiq; possit. & paulo infra: *χρήσιμον δὲ πρὸς*
τὰς νομοθεσίας, τὸ μὴ μόνον ἐπαιεῖν τίς πολιτεία συμφέρει, ἀλλὰ καὶ τὴν παρελη-
λυτότων θεωρεῖν, ἀλλὰ καὶ τὰς τοῖς ἄλλοις εἰδέναι, αἱ ποῖα τοῖς ποῖοις
ἀρμότουν. ὥστε δῆλον ὅτι, πρὸς μὲν τὴν νομοθεσίαν αἱ τῆς γῆς αἰετοδοὶ χρή-
σιμοι. ἐντέυθεν γὰρ λαβεῖν δεῖ τὰς τῆς ἑθνῶν νόμους. idem in 4. Polit.
c.1. Leges esse considerandas optimas & quæcunq; guber-
nationi convenient. Esse enim leges omnes ad Remp. ac-
commodandas, non autem Remp. ad legem, esse namque
Remp.

Remp. institutionem civitatis circa magistratus honoresque publicos, &c.

12. Ex his aliisque, quæ prætereo sciens, satis constare puto, quam necessaria sit legislatori civitatis ac Reip. cognitio. ex quo simul scopus noster patefcir, quo hæc omnia collimant.

13. Nec enim credo quispiam negabit Jurisconsultum, seu legum interpretem, ministrum legislatoris esse, & sine dubio in legibus explicandis versari, eundem cum legislatore finem, & objectum occupare. Unde quæ ad legislatorem requiruntur, ea omnia Jurisconsultum quoque constituent, ea inquam, sine quibus ille bonas & salutare leges non præscribere, hic rectè & ad commodum civium interpretari nequeat. Ita utriusque hujus societatis fabrica perlustranda, & partium numerus, & qualitas rerum atque conditio, itemque habitudo omnimoda partium qua ad se invicem referuntur, postremo qua ratione hæc in vigore suo, & naturali perfectaque integritate conservari possint.

14. Dixi finem utriusque tam legislatoris quam Jcti esse euodem, Justitiam sc. Universalem nominare volui. Quicquid enim in Republ. vel à legislatore, vel Jcto agitur, id omne tendit ad societatis illius felicitatem & salutem quam justitia conservat. Est enim ea nihil aliud quam æqualitatis conservatio. Cum igitur finis perfectio sit, quæque primo ac per se expetatur, certè justitia utriusque finis erit, hanc consequitur civium & Reipub. tranquillitas. Non potest Justitia propter aliud expeti, quia virtus est. Nec finem eam esse ex eo negandum, quod tranquillitas & beatitudo eam consequatur. Quia & sanitas finis medici, nec tamen eam non sequitur corporis decor & bona habitudo ut fructus, aut non antecedunt instrumenta ad eam comparandam apta habiliaque.

14. Ut non immerito Justinianus Justitiæ definitionem tanquam ultimi Jurisprudentiæ finis in fronte posuerit,



rit, cum ut admoneret legum studiosos tam excellentis
metæ, tum ut incitaret impensius nobiles animas, aut te-
merè proruentes, cautiore studio ad media conquirenda
præpararet, ne illotis, quod ajunt, manibus in jure tumultuarentur.

16. Nam cum, ut sæpius dicendum est, finis Ju-
risprudentiæ idem qui legislatoris sit, Justitia, eamque se-
quens beatitudo omnimoda, legislatori non ad belli quam
paci artes respiciendum est, hoc est, ad utrasque, ut & do-
mi & foris cives feliciter agant; ut facilè appareat, non
unam virtutem legislatori propositam esse, sed omnes.
Erit itaq; & Jurisperiti finis omnis virtus, seu Justitia Uni-
versalis, sicut Pindarus de Hierone ait

Δεμστῆρον ὃς ἀμφέπει
σὺν πτόν ἐν πολυμάλῳ
Σικιλίᾳ, δρέπων μὲν
κορυφὰς ἀρετῶν ἀπὸ πασῶν

huc pertinere videtur quod Arist. lib. 7. c. 15. Polit. finem
esse ait publicè & privatim hominibus eundem, & eandem
definitionem viro optimo & optimæ Reip. inde manife-
stum esse virtutes eas, quæ ad otium pertinent, illi inesse.
Finis enim est, ait, belli, pax; negotii, otium; Sunt autem
utiles ad otium & quietem virtutes, quarum opus in otio
est, quarum in negotio. Oportet autem multa negotia no-
bis existere, ut liceat in otio esse. Et postquam ostendit
Civitatem & fortem, & temperantem & patientem esse
oportere, subjungit: multâ igitur justitiâ, multâque tem-
perantiâ indigent hi, qui in optimo statu constituti viden-
tur, & fruitione omnium rerum quæ beatos facere putan-
tur, &c.

17. Constare inde puto, Justiniani etiam juris eun-
dem finem ab Imperatore constitutum, rectèq; intellectum
in principio authoritatis, seu constitutionis Justiniani, In-
stitutionibus juris præfixæ, ubi planissimè: Imperatoriam

B

Maje-

Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam. quo magis scolis relinquenda disputatio quâ quæritur quæ magis Reip. necessariæ pacis an belli artes? Imperator an sapiens? sane si finis nobilior iis quæ ad finem sunt, facile judicium. Sed Resp. beata neutro carere potest, alterum alterius auxilio eget, nec concipi posse, sine his, felicitatem quam quærimus, verum est, ut sapienter olim Bion Poeta in disputatione pastorum de partibus anni dixisse videatur:

Κείναι ἐκ ἐπείκει πάντα ἔργα βροτῶσιν.

Πάντα γὰρ ἰσὺν ταῦτα καὶ ἀδία.

18. Explicatio sine Jurisprudentiæ objectum ejus considerandum venit. Nam & hoc, dixi supra, cum legislatore Jurisperitum habere unum idemque. Qua propter ut ille ad finem eum quem diximus, pulcherrimum omnes civium suorū actiones dirigit ut faciat bonas & legibus conformes. Pari ratione Jurisperiti materia erunt omnes actiones civium, quatenus justæ sunt. Dum civium dico, facile intelligitur brutorum actus hinc excludi. Nam brutis nec feruntur leges nec explicantur, soli homines justi & injusti sensum habent. Dum vero actiones humanas huc spectare assero, quatenus justæ sunt: hac speciali ratione tanquam formali jurisconsulti objectum definitur, ut designetur, id quod nulla alia disciplina facit, & quod sola jurisprudentia. Nam licet legislator quoq; circa omnes illas actiones verteretur, quæcunque Reip. societatem corrumpunt aut custodiunt, & moralis Philosophus, & Jurisconsultus: Differentia tamen in eo est posita, quod Philosophus moralis intrinsecas hominum actiones ab ovo, quod ajunt, & primis earundem principiis repetit, docetque id, quod Aristoteles olim dixit se Philosophiæ acceptum ferre, sponte esse bonum. aut ut Picolom. prima pars Philosophiæ moralis tanquam theoretica est, tradens nobis principia, fundamenta, semina universa Philosophiæ civilis. At Legislator proponit quidem leges



ges suas eodem collimantes; unde, ut idem Picol. descendit ad ordines, ad præcepta propria, divisimque ea explicat quæ competunt unicuique gradui & conditioni hominum; interim tamen quoniam, vel ob rerum agendarum volubilitatem varietatemque, vel ob affectuum impetum, rectæ rationis imperium non semper obtinere potest, ut intus & domi quisque suæ bonus esse velit, contentus est id saltem impetrasse à civibus, ut ne manifestè justitiam lædant, & salutem Reip. societatisque civilis eant perditum. Jurisconsultus vero legislatoris hæc præcepta prudenti interpretatione moderatur, quæque ab eodem propter temporum & casuum perpetuam varietatem omissa videntur, ex mente ejus supplet, ac perspicuè aperit.

19. Hæc quæ de genere subjecto & fine jurisprudentiæ hæctenus protuli, propterea nudè, & stylo philosophico, posita à me sunt ut innuerem, hæc tanquam principia Jurispr. vel supponenda hic, vel ex aliis scientiis quæ eam antecedunt, desumenda esse. Nam ut principia sint quod dicuntur, prima esse debent & notiora conclusionibus, Ergo hæc non probanda Jcto, sed sumenda; ne fiat principii principium; aut progressus in infinitum contra rationem admittatur.

20. Atque ex hoc ipso porro apparet Jurisprudentiam Philosophicarum disciplinam præcedentem notitiam præsupponere; dico Politices, Oeconomices, Ethices, & adeò eorum, quæ ad totius Reip. cognitionem in qua quis de jure respondere debet, sive ex illis disciplinis, sive Historiarum monumentis, seu peregrinatione petita haustaque sint, omnium. tum quia hæc sunt partes & principia Jurisprudentiæ, tum quia suppeditant rationes & causas actionum, & honestatis fontes aperiunt.

21. Namq; si Jctus est sapiens, quemadmodum veterum aliqui etiam publice appellati sunt, sapientē autem Arist. 1. Metaph. 2. dicat τὸν ἀκρίβειστον καὶ διδασκαλικώτερον τῶν



ἐπιὼν σφόδρα ἐν τῇ κατὰ κράτος ἐπιστήμῃ, sequitur juris civilis studium ultimum inter artes illas sibi vendicare locum, tumque rectè & ex utilitate Reip. doceri ac tradi, si priores illæ Scientiæ tanquam prima ejus principia & elementa præcedant, Et docere hic sapiens, & docendo causas reddere possit. Unde rectè & sapienter Cicero in primo de LL. non à Prætoris Edicto, neque à XII. tab. sed penitus ex intima Philosophia hauriendam juris disciplina putat.

22. Atque sic intelligere licebit definitionem Ulpiani quæ est omnium absolutissima: Jurisp. esse rerum divinarum & humanarum notitiam, justis atque injustis scientiam, quod enim Cic. divinis illis de LL. libris ostendit, discimus inde latissimum Jurisprudentiæ campum omnes actiones humanas esse; quæ homines hominibus, quæ Deo homines præstare debeamus, quæque ratione Deo sociemur & similes efficiamur, cum virtus sit hominis cum Deo similitudo.

23. Deinde illas ipsas actiones considerari à Jurispr. quæ sunt justæ. sic finis respectu, tanquam formam restringi generis latitudinem & fieri hujus disciplinæ proprium, quod ultima definitionis verba præstant.

24. Ex his jam nunc luce clarius patet, quod diximus supra, finem Legislatori Jurisconsultoque & magistratui propositum esse eandem justitiam, diverso, singulorum circa eam officio. Legislatoris quippe est adeptio justitiæ ex legum utilium latitudine; Jurisconsulti, ex legitima earundem interpretatione, Magistratus vero, ex earum æquabili & justa executione.

25. Transeo nunc ad alterum caput de necessitate Jctorum in Rep. ubi plura adhuc de officio Jcti addenda erunt.

26. Probatur autem necessitas Jctorum in Rep. i. ex principiis juris naturæ & moralibus. Nam ad hoc ut actus aliquis sit bonus seu justus, oportet, si aliàs non est certum, ut fiat secundum definitionem sapientis. Hæc enim

enim est una conditio actus boni (verba sunt Franc. à Victoria in relect. 1. de Indis. p. 167.) igitur necessario adsint oportet in Rep. tales viri, qui alios minus ingenio, minusq; à prudentiâ instructos informant h. e. ut idem, divini & humani juris periti. Idem juris naturæ præceptum legitur etiam in jure Justiniano, Tit. de juris & facti ignorantia l. 9. §. 3. Sed juris ignorantiam non prodesse labeo existimat, si Jcti copiam haberet, vel suâ prudentiâ instructus sit, ut cui facile sit scire, ei detrimento sit juris ignorantia, quod rarò accipiendum est. Ex quo istud, quod dicimus, manifeste conficitur, hoc amplius verbis illis ultimis: quod rarò accipiendum est; innuitur, non facile videri quem defectum viri prudentis prætereundum esse, quod hoc vel maximè ad curam ejus qui Reip. præest, pertineat, ne tales in Rep. desint, qui suum officium neglecturus non videatur.

Cæterum consulendos omnino prudentiores esse, ut actiones humanæ bonæ justæque sint, visum est antiquissimis Philosophis Pythagoreis quoque eò enim spectat ipsorum sententia quam refert Arist. 2. Eth. c. 5. ex edit. Pacii. in f. Peccare, inquit, multis modis possumus; malum enim infiniti, ut Phytagorici conjectabant, bonum autem finiti, atque iccirco illud facile, & hoc difficile est. facile à scopo aberrare, ipsum attingere difficile. unde idem Aristoteles 1. Eth. c. 3. in fin. eum qui per se non sapiat satis, Hesiodum audire jubet, versiculi notissimi sunt.

ἔτ' ὁ μὲν πανάριτος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει,
ἔθλος δ' αὖ κακίων, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
ὃς δὲ καὶ μήτ' αὐτὸς νοήσει, μήτ' ἄλλω ἀκύνῳ
ἐν θυμῷ βάλληται, ὃ δ' αὖτ' ἀχρηστὸν ἀνὴρ.

28. Et hæc est illa Aristotelis doctrina de servis natura, qui alterius esse possunt, quique eo usque rationis participes, ut eam quidem sentiant, sed non habeant, h. e. qui habeant obtusum admodum rationis usum & nubilum qs. qui opus habeat luce alterius seu, ut Homerus, qui men-



tis dimidium habeant, à naturâ ipsâ ad obsequium & ministerium destinati, instrumenta veluti sapientis, seipsa moventia ut Vulcani tripodes Poëta dixit tam affabrè factos fuisse

—— *ut ferrent sese ad certamina divum*

Sponte sua, nulloque domum ducente redirent

His utique sapiens imperat ut animus corpori ad eorum bonum, naturali imperio, etsi civile sæpè penes ipsos hæreat servos,

ut divisum Imperium cum Jove Caesar habet.

Hos in Rep. semper fuisse, futurosque adeo semper natura ostendit ipsa, frustra negante Bachovio ad Wes. Tit. de Just. & Jur. n. 16.

29. Præcipuè vero in quæstionibus illis defectus humanæ prudentiæ se prodit, quibus quid justum quid æquum sit quæritur, nec ullibi verè magis in errore versamur. Medici de difficultate artis suæ ex Hippocratis, ni fallor, sententia meritò queruntur ob monstra tria quæ medico operanti occurrant, occasionem præcipitem, experimentum periculosum, & judicium difficile. Sunt in jurisprudentiæ Objecto non pauciora, quæ id quod justum est, in puteum Democriti abscondunt.

30. Licet enim homines id quod Turpe est, malum, & fugiendum, ex canone seu regulâ illâ quâ bonum honestumque designatur edocti sint, juxta illud Euripid. in Hecuba dicentis vir bonus

ὁ δὲ τὸ γ' αἰχρὸν κανόνι τῷ καλῷ μαθὼν.

Attamē cum regula illa seu canon generalissimus sit, haud facile est in singularibus, quales actiones omnes sunt, semper rectè versari, in applicando sæpè fallimur, sæpè species rerum blanda imponit nobis. Unde rectissimè Arrianus ad Epictetum lib. 3. c. 26. decipi plerumque homines tradit dum notiones communes seu generales singularibus adaptare nituntur verba sunt: τὸ τὸ ἔστι τὸ ἀπὸν τοῖς ἀνθρώποις πάντων τῶν

των τῶν

των τῶν κακῶν, τὸ τὰς ἀλλήλους τὰς κοινὰς μὴ δύνασθαι ἐφαρμόζειν τὰς ἐπι-
μέρους. Unde Plato in Phædro Socratem ita loquentem
introducitur: Cum quis argentum, aut ferri nomen protu-
lerit, nonne universi idem intelligimus? Phædr. id verum
quidem est. Socr. quid vero cum iusti aut boni (nomen
usurpaveris) nonne alius alio fertur, & tum inter se ipsi
cum à nobismetipsis dissentimus? Inde ergo tanta veteri-
bus orta diversitas & discrepantia in juris indagine, ut mul-
tæ gentes omnino jus omne exuerint, cæperintque ut He-
siodus ait:

ἔθεν ἑλλήνας, ἐπει εἰ δίκη βεῖν ἐπ' αὐτοῖς.

enumerat quosdam tales Aristot. 8. Polit. 4. aitque eos ho-
minum cædes fecisse, atque eorum carnibus victitasse, qua-
les in Ponticis gentibus Achæi & Heniochi, deq; mediterræ-
neis partim his similes partim immaniores. Ita Sen. in Troad.

aut quæ Caspium tangens mare

Gens juris expers ausa &c.

ut recte Lactantius de anima c. 2. de illis perditis gentium
moribus dixerit: nihil divinæ licentiæ servant, leges naturæ
opinionem suas faciunt. Aliæ paulò mitiores leges quidem
admiserunt, sed permixtas magnis erroribus, dum easdem
non ex præscripto rectæ rationis Sanctissimi numinis du-
ctum sequentis, sed ex utilitate metiebantur, ut Lact. lib. 5.
c. 16. Jura sibi pro utilitate homines sanciebant, scil. varia
pro moribus, & apud eosdem pro temporibus sæpè muta-
ta. Jus autem naturæ esse nullum, omnes etiam homines
& animantes ad utilitates suas natura ducente ferri, proinde
aut nullam esse justitiam, aut si sit aliqua, summam esse
stultitiam, quoniam sibi noceret, alienis commodis consu-
lens. Horatius ipse jam olim utilitatem iusti prope & æqui-
matrem pronunciat.

31. Hos Solæcismos gentes faciebant; nec hodiè un-
diquaque salvi sumus, ut ut pateat, sæpè

sidera



Ut distant, & flamma mari, sic utile recto

differre. Ergo Sapientissimi mortalium pertæsi errorum agnovere tandem esse utique æternum jus quoddam & legem immutabilem, à quâ reliquæ omnes; quocunque designentur nomine, pendeant (Cicero loquitur ex 2do de LL.) non hominum ingeniis excogitatum, sed principem legem omnium ratione aut cogentis aut vetantis Dei. Huic nec obrogari fas esse, nec derogari ex hac aliquid licere, nec totam abrogari posse. nec vero aut per senatum aut per populum solvi eâ nos posse. nec Romæ aliam, aliam Athenis esse aut nunc aut posthac. Sed omnes gentes & omni tempore hæc unâ & sempiternâ & immutabili contineri, unumque esse quasi magistrum & Imperatorem omnium Deum, illum hujus legis inventorem, disceptatorem, latorem: cui qui non parebit, ipsum se fugiturum, & naturam hominis adspernaturum.

32. Scil. geminis plane verbis Justinianus noster: Jus naturale esse, quod natura omnia animalia docuit. l. 1. §. 3. de just. & jur. ubi rectè glossa naturâ naturantem seu Deum jam diu intelligi voluit. Idem Justin. in §. singulorum Inst. de rer. divis. Palam est, ait, vetustius esse jus naturale, quod cum ipso genere humano rerû natura produxit. ubi Theophilus vertit quod simul cum genere humano *εις φῶς ἢ φύσις ἀείνωτα*. ita Gaius Ictus in l. 1. ff. de acquir. rer. dom. antiquius jus genium cum ipso genere humano proditum, esse statuit. apertissimè vero Sanctissimum Numen hujus juris autorem esse Iustinianus iterum in §. sed naturalia Inst. de jure naturali, gent. &c. confirmat, cum ait: Naturalia quidem jura, quæ apud omnes gentes peræque observantur, *divina quadam providentia* constituta semper firma atque immutabilia permanent. &c. idem Icti recentiores Fernandus Vasquius lib. 1. Contr. Illustr. c. 29. §. 14. Omne jus naturale est jus divinum, licet ex diverso non omne jus
divinum

divinum sit naturale, differuntq; jus naturale & divinum
ut genus & species &c. Mynsing. ad Tit. Instit. de jur. na-
turali &c. §. sed naturalia: jus hominum naturale (neque
aliud jus est *quam hominum* misera enim est sententia Hor-
necii & Hippolitho digna quodam de Postis Theorem. 19.
qui in brutis putat vix tantum umbram vel similitudinem
rationis, sed unum vel alterum etiam veræ rationis gra-
dum deprehendi, & rationem brutorum à ratione hominis
saltem modo & quantitate differre ut navis a scapha.) sic
rectè definiri, jus naturale est quod natura adeoque Deus
ipse omnes homines in creatione, veluti prima quædam
præcepta & formulas honestatis docuit.

33. Consentiant sapientes omnium seculorum hac
in re, paucos adjiciam Hesiod. 557.

Τὸν γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων.

Jupiter pro naturæ rectore accipiendus scilicet. Unde
etiam apud veteres Deum sequi, secundum Deum vivere
non raro idem est quod secundum naturam vivere, aut se
exigere secundum rationem ap. Cic. Sen. Plut. alios. Nam
ut Hierocles in Comm. ad Carmina Pythagoræ Λόγῳ ὁ ὀρθῶς
παίδεως ἢ θεῶ τωτόν ἐστι. τὸ γὰρ λογικὸν γένος ἐυμοίρησεν τῆς οἰκείας ἐλ-
λάμψεως ταύτα βλέπει ἃ ὁ δεῖος δείξει νόμος· καὶ γὰρ σύμφητος θεῶ ἢ
κατὰ θεὸν διακειμένη ψυχή, ἢ πρὸς τὸ δεῖον καὶ τὸ λαμπρὸν ἀποβλέπεται
πρόσπει ἃ ἀν πρὸς τῆν. ita & Demosthenes Orat. adversus Ari-
stogit. noster factus in l. i. ff. de LL. Jus naturale hoc intel-
ligit, dum legem dicit *ἔνρημα ἢ δῶρον θεῶ*. Accedit Aristote-
les §. Ethic. c. 10. sed supersedeo referre ut brevior sim. quam
eandem ob causam etiam Patrum sententias non colligo,
& quia nemo hodiè facile de illis dubitat.

34. Et igitur juxta sententiam Philosophorum
Theologorum Jctorum sic constituto hoc, quod jus natu-
rale seu generis humani commune, ex Imperio & dictatis
Numinis Sanctissimi pendeat, consecutaria habemus mani-
festa tum de obligatione humana ad illud jus, tum de offi-
cio juris consulti Reip. oppidò quam necessario.

C

35. Nimi-



35. Nimirum jus, ut ait Seldenus lib. i. de jure naturali c. 8. propriè dictum omnimodum, aut divinum aut humanum est. Divinum, seu ab ipso numine immediatè indicatum, præstitutum, Imperatumq; , aut naturale est, quod jam memoravimus, ipsiq; hominum initiis coævum, aut positivum & recētius, ac postea in utroq; foedere adjectum. Et utrumque, aut est obligativum, i. e. sive affirmativè sive negativè expressè præscriptū, aut arbitrio humano permisso, adeoq; permissivum dici solitum. Humanum appellamus, quicquid ab hominibus, quat. divinum permittit, variatim superstrui addiq; solet. utrumq; ratione objecti aut sacrum dicitur, aut publicum, aut privatum. Ausonius.

Jus triplex tabula quod ter sanxere quaterna,

Sacrum privatnm & populi commune quod usquam est

36. Jam vero de obligatione divini juris utriusq; generis (pergit Seldenus) rite sc. intellecti & ad Legislatoris mentem, adeoque de naturalis obligatione nemo dubitabit, nisi qui simul rectoris universi potestatem & imperium nequaquam agnoverit. Humani autem juris obligatio (seu ejus quicquid ex permissione diversimodè inter homines civiliter ac ritè juxta varias regiminum formulas ab ipsis solum sic per modum determinationis, ut in scolis loquuntur, constitutum est, ut nec naturali nec positivo juri adversetur) ex ejusdem juris divini capitibus (secundum multiplicia constitutionum temperamenta) vim sortitur, juxta illud non est potestas nisi à Deo. fluit enim exinde hoc juris naturalis obligativi caput: *Pactis ac regiminum formulis, civiliter initis, standum esse.* Itaque cum nunquam lex humana violetur, quin simul illa implicita lex Apostolica Naturalis & divina infringatur, statuendū necessariò, etiam leges humanas in conscientia obligare. Videantur Scolastici hâc de re.

37. Atq; hinc jam sole clarius patet, quale, quamq; utile & necessarium Reip. sit Jcti officium. Deducere enim
debet

debet æquabili & justâ interpretatione hujus juris ad eam
quam Deo quam Reip. homines debent *Obedientiam*; h. e.
justos facere & beatos civiliter. Nam sine hoc sit, nec
Remp. haberent, nec homines essent; sed vel Dii, vel bruta
Arist. lib. 1. polit. c. 2. lib. 4. c. 4. De justo enim & æquo ad-
modum difficile est reperire veritatem, quippe semper qui
imbecilliores sunt æquum & justum quærunt, *οἱ δὲ neglectοί*
ὄντες ut idem Philosophus 6. Polit. 3. in fin.

38. Sed quam non modo necessarium sit Jcti offi-
cium verum etiam nobile dignumq; è Cicerone potius au-
diamus, ne quis testimonia de propriâ domo esse clamitet.
Itaque ille sic existimat: Juri civili nullum aliud proposi-
tum esse, quam legitimæ atque usiatæ in rebus causisq; ci-
vium æqualitatis conservationem, neque enim legitima
æqualitatis conservatio aliud quiddam est, quam Justitia, ad
quam omnis legum disciplina dirigitur. Justitia enim in
æqualitate quadam cernitur, tum Arithmetica tum Geo-
metricâ, & æqualitas est legitima, legitimum autem omne
justum. docemur aurem, ait porro, non infinitis, concer-
tationumq; plenis disputationibus, sed autoritate nutuque
legum, domitas habere libidines, coercere omnes cupidi-
tates, nostra tneri, ab alienis mentis, oculos, manus abstine-
re. Fremant omnes licet, dicam quod sentio, Bibliothecas,
mehercule, omnium Philosophorum unus mihi videtur
XII. tab. libellus, *si quis legum fontes & capita viderit*, (quæ
verba diligenter notari velim. Nam pleræque calumniæ
quas jus patitur Romanum hinc trahunt originem fon-
temq; quod vel oppugnatores ejus juris, vel aliqui etiam à
quibus præsidium sperare jus debebat, hæc capita & fontes
legum non videant, vide Jacob. Gothofr. in Epist. dedica-
toria tract. sing. de Nuptiis consobrin.) & autoritatis pon-
dere, & utilitatis ubertate superare. Item paulo infra: Quid
enim est præclarior, quam honoribus & Reip. muneribus
perfunctum senem, posse suo jure dicere idem, quod apud

Ennium dicit ille Pythius Apollo, se esse eum, unde sibi, si
non populi & reges, at omnes sui cives consilium expetant,
*Suarum rerum incertis quos ego mea ope ex
incertis certos, compotesque consili
dimitto, ut ne res tractent turbidas.*

Est enim sine dubio domus Jcti totius oraculum civitatis,
testis est hujus Q. Mutii janua & Vestibulum quod in ejus
firmissima valetudine, affectaq; jam ætate, maxima quoti-
die frequentia civium ac summorum hominum splendo-
re celebretur.

39. Superfedebo loci illius relatione quem elegan-
tissimum de Jcti officio habet Plato in 6. de LL. ubi osten-
dit frustra leges in civitate salutare inveniri, si non sint, ut
noster Jctus ait, qui jura regere possint, & ad exitum dedu-
cere. neque enim in delinquentibus vim esse quæ ad sanio-
ra reducat transgressores. Unde necessarium & ipse rectè
statuit in optima Repub. custodes quosdam constituendos
qui non tantum legum præscripta executioni dent, sed qui
mentem legislatoris perspicuam reddant, quandoq; etiam
si ita res ferat eas emendare possint. fatetur enim, divinus
Plato ibid. nos mortales esse, non posse sine successore ad
summam perfectionem quicquam nostrorum operum
perducere, unde ea quæ necessario nos relinquimus in le-
gibus non satis ad omnia futura emendata, ea custodi le-
gum i. e. Jcto pro ejus religione emaculanda, polienda,
perficienda relinqui.

40. Quid quæso aliud aut Ulpianus, Jctum sacer-
dotis Justitiæ magnifico Titulo decorando; aut Cicero in
de LL. libris voluisse videntur dum hic Jurisconsultum de-
finit eum qui de jure populo respondeat, imò ut ante audi-
vimus, Orbi: aut etiam Stoici dum legisperitum esse volunt,
qui legem rectè interpretari callet?

41. *Omnia dixit Ulpianus cum jus artem æqui & boni.*
Nempe docere voluit Jurisprudentiam esse quandam disci-
plinam.



plinam, ita versantem circa leges, ut eas ex ipsorum legisla-
torum scopo & sententiâ interpretetur ad salutem homi-
num, cujus causa initio latæ erant. Quippe cum legislato-
res vel ob illam, de qua supra Platonem conquerentem in-
troducimus, humani ingenii pauperem modum, vel ob
negotiorum humanorum variantem & novaturientem natu-
ram, vel ob infinitum omnia persequendi laborem, qui le-
ges contra Platonis sententiam nimis multas faceret, Arist.
1. Rethor. & 5. Eth. 10 multa in legibus omittere necesse ha-
beat. Intellectus enim noster (dicit Thom. ad illum lo-
cum Arist. Ethic.) de quibusdam potest aliquid verum di-
cere in universali, ut in necessariis, in quibus non potest de-
fectus accidere; de quibusdam vero impossibile est dicere
verum universim, ut de contingentibus, de quibus etsi ali-
quid sit verum ut plurimum, in paucioribus tamen deficit,
ut sunt facta humana de quibus dantur leges. Inde igitur fit
ut Jcti opera necessaria sit ut vel benignè interpreterur le-
ges, vel suppleat ex l. 8. § 10. ff. de LL. ne imperitiores in-
clusi verborum carceribus detorqueant leges duriore in-
terpretatione ad severitatē l. 25. ff. de LL. hoc est enim quod
Tullius in officiis ait: Existit ut sæpè injuriæ calumniâ qua-
dam, & nimis callidâ juris interpretatione, unde illud; sum-
mum jus, summa injuria, factum est jam tritum sermone
proverbium; Terentius summam malitiam; Columella
summam crucem dicerent.

42. Et ne tamen quis erret æquitas clementia non
est, quam nemo in Rep. nisi Majestas moderatur, cum legi-
contraria sit. æquitas semper conjuncta legi, comitatur eam
sive ad humanitatem tendat, sive ad acerbiteratem. sæpeque
fieri solet, ut severius, quam lex præscripserit. delicta & fa-
cinora puniantur, æquitate non invitâ, quæ circumstantias
ponderat. Æquitas est, cum spectamus id quod res est, re-
gulam illam peccatis quæ pœnas irrogat æquas, ut Hor. vel
apertius, si mavis, cum spectamus rectam rationem, quæ &



jus naturæ & gentium à Jctis nostris appellatur in *l. 11. ff. de j. & j.* & Cicero in *Top.* æquitas est, quod naturalis ratio persuasit.

43. Hoc tamen interest, quod jus naturale per se spectatur ut præcipit bona, ut mala prohibet. Æquitas contra respectivum nomen, refertur semper ad legem cujus benigna explicatio existit. Unde nulla æquitas, quæ non sit legis alicujus æquitas: neque lex quæ non ad æquitatem respiciat. Non secus ac natura parentes ac liberos, servos ac dominos copulavit, tam arctâ correlatione, ut alterius tota essentia sit in eo, quod alterius sit. Exemplo sit nobis illa juris naturæ regula, Fidem servandam esse; Hæc sine dubio generalis, & quomodocunq; agant homines, gesta contracta firmat. Romani veteres restrngebant ex æquitate ad contractus nominatos, aut legibus probatos, nuda pacta excludebant, ne quis non seriò agens in contractus præcipitaretur. Hæc æquitas quo tempore scribebatur, lex fiebat, ut Prætoriâ iterum, æquitatis naturalis revocatione opus esset. Nam quo primo momento scribatur æquitas, nomen amittit, non justitiam: ut servus mortuo domino, non hominis, sed servi nomen mutat.

44. Atque istinc jam luculenter constat æquitatem esse rectam rationem explicantem leges, ut Civitas sit justa, imò & contractus, in quibus æquitas eadem bonæ fidei sub nomine partes justitiæ fovet, ex Tryphonini sententia in *l. 31. Depositi*: Bona fides in contractibus summam æquitatem desiderat. Sed neque à justitia æquitas genere diversa est, verum ratione tantum, quatenus jure legitimo est perfectior, & ejus quasi mens & sententia vid. Arist. ad Nicomachum.

45. Ex his omnibus nunc de officio Jcti liberaliter judicare licet eum esse Philosophum ex ordine Verorum, quorum describente Gellio, studium omnium virtutum disciplina est, quiq; in publicis simul & privatis officiis excellent,



lunt, civitatemque & Remp. si nihil prohibeat, constanter
fortiter, & perite administrant. Studium cui reges olim de-
diti. Isocrates Epistola ad Alexandrum, quem postea ma-
gnū dixerunt, testis est, cui gratulatur prudentissimus senex,
quod non sit puerilibus Dialecticorum disputationibus de-
ditus, ut pote cum non expediat eos, qui dignitate ceteris
præstant, cum civibus rixari. sed quod amet eloquentiam,
ait, & Reip. regendæ, artes, nec negligat eam partem quo-
que, quæ versetur *περὶ τῶν κερκῶν καὶ διαγίων, καὶ τῶν τέτοις ἐναντίων
ὁρθῶς κείναι.*

46. Neque enim novum hoc studium est, aut à Ro-
manis demum inventum, aut à Justiniano, ut quidam opi-
nantur. Possem nisi nimis longum esset, per secula ire, &
ostendete facili negotio, ab ipsis orbis incunabulis jurispru-
dentiam fuisse, & imò in paradiso ortam nec enim aliter po-
terat quam cum lege ipsâ capere initia: Janus Huartus Re-
gis Hispaniarū Medicus in libro cui Titulum fecit de Scruti-
nio ingeniorum p. 33. (Nam libenter nec Jurisprudentium testi-
moniis probo, nec meis verbis, sed aliorum, quorum nihil
interesse videri potest) ita inquit: Statim atque Adam pec-
caverat principium practicum sumere omnes artes atque
scientiæ: quippe singulis illis homo indigebat, quibus mise-
rias & necessitates suas sublevaret. Omnium prima, quæ in
terrestri Paradiso initium habuit fuit Jurisprudentia, in
quâ fundatus fuit processus, eodem illo ordine judicia-
li, qui etiam nunc in viridi observantia est, ita ut & pars
citaretur, & proponeretur actio, quam sequebatur respon-
sio rei, ac demum sententia judicis ac condemnatio. Ab eo
tempore Persas Jurisprudentibus usos esse *Xenoph. lib. 1. Cy-
ripad.* dubitare nos non sinit, qui senes magistros, puerorū
in arte æqui & boni studiis, præfuisse autor est, inducitque
Cyrum fatentem se è Magistro didicisse: *Τὸ μὲν νόμιμον δίκαστον
ἔστι, τὸ δὲ ἀνόμιμον βίαιον. οὐδὲν τὰς νόμους ἔν δὲ τὸν δικαστὴν τὴν ψήφον τίθεσθαι.*
De Sacerdotibus Ægyptiorum res ex Herodoto nota,
ut &



ut & de aliorum populorum seu Philosophis seu Sacerdotibus seu Druidibus &c. dictis, de quibus ex omni Historia constat illos non solum religiones curasse, sed ad hos etiam magnum adolescentum numerum disciplinae causa cucurrisse. Nam ferè de omnibus controversiis publicis privatisq; constituisse, & si quod admittit facinus, si caedes factae, si de hereditate de finibus controversia foret, eosdem decrevisse; praemia pœnasq; constituisse; si quis aut privatus aut publicus, eorū decreto non stetit, sacrificiis interdixisse. quod *lib. 1. Caesar. de Gall.* tradit, idem de Germanis veteribus Tacitus *de morib. Germ.* neque animadvertere, neque vincere neq; verberare quidem nisi sacerdotibus permissum. Et hi tamen reges non erant, nec majestate pollebant. Sed regum decreta aut legum exequébatur aut quod verosimilius his autoribus & praesentibus Regii ministri quod Tacitus indicat *ibid.* *non quasi in pœnam nec ducis jussu, sed velut Deo imperante; quem adesse bellantibus credunt.* Extarent hodiè ea qua Aristoteles olim collegit *Νόμιμα βαρβαρικὰ*, aut ejusdem *δικαιώματα πόλεων.* in quibus ut *Casaub. ad Laert. lib. 5.* & *Cic. 5. de finib.* notant omnium ferè civitatum non Græciæ solum, sed etiam Barbariæ, ab Aristotele, mores, instituta & disciplinas à Theophrasto, leges etiam cognoscere liceret & alia ejusmodi, facile convincerentur qui dubitant. Sed sapientibus satis dictum puto.

pag. 76. ad
Diogenis
pag. 317.

S. 47. ff.
de O.

47. Hoc amplius vero hinc intelligere est Jcti officium juris, naturalis & gentium esse. Natura n. sapiens idem quod animus & mens corpori ut supra ex Arist. probatum dedimus. & rectè Pomponius Jctus fatetur *ante Tempora: Augustorum de jure respondendi facultatem, non à principibus aut Rep. datam, sed ex naturali facultate sua sponte illos, qui fiduciam suorum studiorum haberent, consulentibus. respondisse, neque responsa signata dedisse, sed plerumq; testatos qui consuluerant, aut iudicibus scripsisse ipsis.* Primum D. Augustum, ut major autoritas juris haberetur, constituisse, ut autoritate

ritate ejus responderent, ut ab eo tempore peti pro beneficio ca-
perit. *Adrianum tamen Imp. rescripsisse aliquando, hoc non
peti sed præstari solere. i. e. non tantum honestè peti, sed etiam
præstari.*

48. Et hic est ille, quem describimus, Virum bonum
juris & æqui peritum, & Justitiæ Antistitem; ad cujus abso-
lutionem requisivimus Reipublicæ cognitionem totam ad
quam profecto.

Non omnis ætas ad perdiscendum est satis.

Ut fortè non in triviis sit obvius noster ille. Interea vero lo-
ci nihil movere quemquam debent hæc quæ diximus, qua-
si fingamus potius quam exprimamus veram imaginem.
Verum quidem est, Oratorem suum ita describunt magistri
ut fateantur nondum sub sole visum, excusantes liberalita-
tem judicii sui illo Quintiliani: *Altius ituros, qui ad sum-
ma nitentur, quam qui præsumtâ desperatione circa ima
substiterint. Quod ut in nostris studiis quoq; locum suum
occupat, ita putamus nos nihil vanitati dedisse, pinxisse ve-
ram effigiem eorum qui fuerunt per omne ævum verorum
Oratorum, aut jam nunc quoque sunt, aut futuri sunt, juris
custodum & consultorum; nec est cur nimis arduum cui vi-
deatur quale delineavimus ejus officium. Est enim plerif-
que omnibus disciplinis sua difficultas, & in universum in
literarum studiis quantus eruditionis cumulus requiritur?
Sen. epist. 88. verba sunt: *Magno impendio temporum, magnâ
alienarum artium molestiâ laudatio hæc constat O! hominem
literatum: simus hoc titulo rusticiore contenti, O! virum bo-
num.* Et tamen negligenda non est differentia quæ interest
artes inter & artificem seu illius experientiam, artes & disci-
plinæ ex se & suapte natura non sunt infinitæ, utut altera
difficultate superet alteram; sed certis præceptis compre-
hensæ & theorematibus descriptæ ultra vitæ nostræ mo-
dum non extenduntur. At usus & exercitatio artis ut diffi-
cillima, ita longissima & quæ una in vita acquiri non pos-
sit,*

D

lit,



fit, propter infinitas circumstantiarum perplexitates. Hæc ars longa est, & hujus respectu demum vita brevis; Cæterorum mens nostra omnium capax est.

Diffimulandum insuper nō est, esse in omnibus disciplinis practicis duplicem versandi rationem, quā de Arist. 3. Polit. 8. in pr. Nam cum ferantur ad actionem, nec in scientiā acquiescere ament, fit ut multi eatenus discant & studeant ibi, quatenus ad finem sufficere putant, cætera susq; deque habent vel, ut verbo dicam, putant sibi cum Neptolemo illo apud Ennium Philosophandum sed paucis. Aristoteles in 3. polit. 11. simile quiddam in medicis, ita dictis, refert ait: Medicus est is qui alio præscribente medicinam facit, & is qui docet ac præscribit, quomodo medicina sit facienda, & tertius qui à puero experiendo artem didicit, sunt autem tales (ait) quidam in omnibus penè dicam artibus. horum Jurisprudētiam Grotius in tr. de jur. Maj. circa sacra p. 14. inter artes ancillares ponit, in quo ego nullam injuriam inesse puto cum omnes servi legum simus. ε γὰρ δὲ ἰατρὸς δαλείαν ἔσθ' τὸ σὴν πρὸς τὴν πολιτείαν, ἀλλὰ σοφείαν.

50. Alii vero ut Arist. d. l. 3. cap. 8. ait περὶ ἐκάστην μέθοδον φιλοσοφῶντων quos nihil prætermittere, ut parvum videatur, æquum censet, sed in omnia inquirere, & veritatem eruerre, secundum illud vulgatum; Sapientes in nulla re falli debere. Hunc demum velim Jctum verum esse, qui divina & humana sciat per quæ diffunditur artis hujus materia, ut supra satis dictum est, qui Grammaticus sit, ut Ulpianus in l. 1. de V. S. & Paulus l. nam quod ff. de pænu. Orator ut Servius Sulpitius, Mutius, & recētiore Papinianus, Volusius, Pomponius &c. Dialecticus ut Jabolenus l. Omnis de R. 1. &c. & Moralis Philosophus Historicusq; quod constet ex supra dictis, imò Geometriæ, Arithmetiæ, Medicinæ, Theologiæ rudis non sit, quæ pluribus legum argumentis docerem nisi me hoc labore liberasset Johannes Mercerus in 1. Observationum suarum c. 4. quo me remitto. quibus si addamus doctissi-

doctissimum Seldenum proœmio aurei tractatus de jure naturali, intelligemus esse eum demum qui *Jus Mundi* (ut Lucanus vocat) cognitumq; habeat exigatque, à quo, ut supra diximus, positiva jura spiritum trahunt, non secus ac reliquæ Philosophicæ disciplinæ principia sua mutuo accipiunt à Sapia primâ quâ vulgo vocant Metaphysicam. Nam vel minima artis cujusque *arcana seu mysteria*, vulgata semel vel opportunè inculcata, eò pertinent, ut veris quâ tuendis quâ novis subinde eruendis commodent, fictis contra falsis convincendis passim faciant ut ait Clarissimus Jacobus Gothof. *in Epist. dedicatoria tr. ad l. 17. C. de Nupt.*

51. Hanc Jurisprudentiam Grotius *d. l. 10. §. 10. de jure ap.* appellat, quod non admiserim lubentiùs. Satis enim supra fines harum videmur rexisse. Quin potius nunc ad obretatores respicimus & hos defendimus ut Virgilianæ apes

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.

Ex his nonnulli mitiores sunt, queruli saltem. quos inter Marcus ille aquod Ciceronem *in 1. de LL. Ego memini*, inquit, *summos fuisse in civitate nostra viros, qui jus interpretari populi & respondere soliti sunt. Sed eos magna professos, in parvis esse versatos. Quid enim est tantum, quantum jus civitatis? quid autem tam exiguum quam est munus hoc eorum qui consuluntur. libellos conficere de stillicidiorum aut de parietum jure, aut stipulationum & judiciorum formulas componere &c. quæ & conscripta sunt à multis diligenter, & minora quam illa quæ à vobis expectari puto. hæ querulorum voces sunt.*

51. Nos duo his reponimus: primum ex Cicerone est, eodemque ex loco, non existimandum esse eos qui huic muneri præfuerunt, universi juris expertes fuisse; sed eos hoc civile, quod vocant, eatenus exercuisse, quod populo præstare vellent. inde descriptos ex hoc munere: quod legum & consuetudinis ejus quâ privati in civitate uterentur, & ad respondendum, & ad agendum & ad cavendum



periti sint, ex officiis in vulgus gratis, non ex sublimiori perfectione qua Musis noti sunt & Reip. se probant. Deinde quid fata mortalium detrahant immortalibus rebus & divinis? si quos ingenium deficit, aut si quorum virtutibus obstat res angusta domi? aut Mæcenates non sint? quid mirum si paucos habemus *Marones*? an interim despondendus erit animus? minimè verò, *Locus est & pluribus umbris. inspicite Mercerium loco supra allegato.*

53. Immite vero illud adversantium genus quod nescio quibus artibus sub Politici nomine occultatis, orbem terrarum frustra habet, & simulationibus, fraudibus, dolis ad fucum usq; ornatis, autumat Imperia & Regna non justitia stare sed *ratione status*, hanc justitiæ successisse putant cum illa terras relinqueret. quæ quid sit, quârum calamitatum mare forte illi norunt rectius qui patronam suam elegerunt olim. difficile est verbis eâ describere *Pandoram*, quidam pallium politicum appellitant, alii Palatium quoddam eam putant augustissimâ foris, & quod superbâ æmulatione Miracula mundi imitetur, cujus in foribus sedeat picta Majestas, & religio & Salus populi in speciẽ hilaris, & libertas, quasi ridentis habitus, Intus vero aut Tyrannidem servitutem equitare, aut habitare præterea neminem. Ego juraverim, mihi non liquere; remitto vos ad Magnum nostrum Boeclerum sub cujus ductu habita oratio in manibus est. Sed hujus Deæ filii diversi fuere sententiis, quidam *Justitiam habuerunt* in Rep. ut arcanum mansuefaciendæ plebis, & artificium emergendi; at postquam hæ artes patuerunt, reliqui ut nihilominus hoc negotium haberet exitum in contraria (ut periti maris & tempestatum) lapsi, statuerunt agendum in justitiam lege esse. Nam si illa fraudes nullas ferre vellet, necessariò ejiciendam esse cum legibus suis principum, ab illis qui impunita sibi postulant commissa *c. 11. Dist. 10.* Commodum occurrebant, in quos primus furor, cum favore etiam forte, frangeretur Jurisconsulti, homines præposterii cum veteri illa sua & tetricâ sa-

per-
inde
& di-
ribus
l mi-
den-
bris.
d ne-
bem
dolis
n ju-
tant
nita-
ele-
qui-
dam
atio-
picta
ber-
ser-
Ego
no-
bus
Ju-
ple-
ue-
um
ue,
des
ous
m-
ori-
on-
sa-

piencia à Papiniano imò Evandri matre repetitâ de bonis moribus, & turpium rerum impossibilitate, verum de suavis illis & utilibus hodiernis artibus subrependi intelligentes nihil. Et in promptu quoq; prætextus in hos videbatur, ex corruptis vulgo studiis liberalibus, maximè jurisprudentiæ, quibus jungi possent veteres objectiones quibus pueros suos exercuerant patres Jurisconsultorum Lancellottus in comparatione juris Civ. & Canonici & plures alii. Ex his posse fieri justam calumniam; semper affricari solita vitia perditorum. bonis; hæsurum aliquid: Et ut nulla sit *ἡσυχία* exemplis agendum; jam olim damnatum Aristidem eo solo nomine quod cupidè elaborasset ut præter cæteros justus appellaretur.

54. Subsistite parumper amici; nondum actum est. appellamus ab isto Atheniensium præjudicato, iniquum nobis videtur. Non quid fiat, sed quid in magnis urbibus fieri debeat attendunt Jura civilia, ut proculus respondet *ff. de officio præsid.* præterea quoque vetus parcemia medicis periculum artis suæ facere in solo care permittit, non capere experimenta per mortes aliorum hominum, negamus vero, Cares non sumus. & bona cum veniâ dicamus causam ante sententiam, quod natura licet. & Baldus ne Diabolo quidem denegari voluit teste Knichenio *Tr. de jure Sax. non provoc.* Tantoque brevius dicemus, quanto expeditius est in bonis causis unâ solutione ex fontibus sumta corrigere omnia quæ videntur offendere;

Ὁ δὲ ἄδικος λόγος, νόσων ἐν αὐτῷ φαρμάκων δεῖται σφῶν.

55. Bifariam igitur dividemus objecta, in ea quæ ipsam lædunt Jurisprudentiam Justinianeam, & in illa quæ personas jurisperitorum. Jus ipsum attinet quod ait Hippolithus in pr. Usque ad Lorharium Imperatorem ignota fuisse nomina Institutionum, Digest. Nov. Doctorum, Advocatorum, procuratorum Notariorum, & similibum Togatorum vulturum ex aureo Apulei Asino.

D 3

Hoc



56. Hoc primum punctum esto. dignum scilicet, patellâ operculum, quod statim in principio mentionem facit Asini. At o! bone nondum opinor pertinent Germani omnes ad Metamorphosin eam quam Heinsius ille *qui fonte labra proluit Caballino,* adjunxit ad Ovidianam. Intelligimus enim hic statim in principio multa nobis dare verba Hippolithum. Nam initio hoc apprimè falsum est, quod ante Lotharium Imperatorem ignota fuerint nomina Institutionum, Digest. Novellarum. Equidem de Pandectis id constat fuisse rarissima Exempla, testatur Historia Francisci Taurelli de Pandectis Florentinis cujus verba refert Conringius de origine juris Germanici hæc: *Pandectarum id, seu Digestorum est antiquum volumen, Florentia nunc, Pisis olim asser vatū, cum Amalphi prius omnem supra memoriam fuisset. Inde acceptum Pisani quod Innocentium 2. Pontif. M. & Lotharium Casarem item 2. Classe adversus Normannū Rogerium juvissent, egregiè navata opera monumentum retulerunt, diuque penes se habuerunt: donec per Ginum Caponium æquè nobilem ac strenuum virum, Florentini anno salutis MD. cccc. vi. Pisis in potestatem redactis, subjectionis symbolum transtulerunt. Liberque ab illo tempore summâ cum curâ ac religione, tanquam cælo delapsus est custoditus et quæ alia Taurellus.* Sed ut ex his verbis luculenter patet, Pandectarum volumen rarum, & ob hoc ipsum carissimum habitum; ita æquè constat rem tantopere æstimatam ignotam non fuisse. Et imò, contra quâ fingit Hippolitus, nihilominus aut ex Codice & reliquo Justiniano jure, aut ex Aniani apud Gothos, apud Burgūdiones Papii, aliorumq; juris civilis compendiis, jus dictū esse; Nam horum institutum fuit, infelicibus Romanorum reliquiis legem Romanam proponere. *Quippe Germanicæ nationes, cum Romanas provincias etiam Galliarum, potestati suæ subiecissent, hanc erga devictos humanitatem exercuere, ut liberum cuique relinquerent, qua lege, etiam Romanâ nomina-*
tim

tim, vivere vellent; de quo leges Brugundionum tit. 60. §. 1. Sa-
lica tit. 45. in pr. Longobardorum tit. 57. & veteres formula-
rum auctores. verba sunt Jacobi Gothofr. in Manuali qui no-
bis non credit credet ipsi Lothario cujus est illa Constitutio
2. legum Longobard. tit. 57. quæ repetitur in Dist. 10. c. 13.
quâ ad Leonem Pontificem scribens permittit ut lex Ro-
mana vigeat ut hætenus ait. &c. Ergo si Lotharius jam tū
approbavit ea jura, qui verum esse potest quod Hippolithus
putat, ante hunc Imperatorem hoc jus fuisse in cognitum.
Quod si vero Hippolithus intelligit Saxonem Lotharium,
eum scilicet, qui Pandectas Pisanis donavit, in Germaniam
hoc jus introduxisse, remitto eum ad jam supra citatum
Clarissimum virum Herm. Conriugium cum quo litem
hanc contestetur: certè nondum probatum est hætenus,
nec ulla constitutio producta, quâ ille Imperator, Germa-
norum omni jure abolito, unum Romanum in Germa-
niam introduxerit.

57. Sed hæc quæstio planè nostra hic non est, brevi-
ter quantum instituto serviat, videtur non abhorrens illo-
rum sententia, qui Justinianicum jus, ejusque studia nun-
quam ubique penitus sublata existimant. Negari non po-
test oppressa fuisse ad tempus, & non valde frequentata, sed
rediisse æquitatis & bonitatis commendatione, omnium
favore, ut ferè jura cum imperiis florent, caduntque; in Ita-
lia veteri sua sede, facile vestigia relegisse sub Lothario Sa-
xone, promovente etiam forte Comitissa Mechtilde in Ir-
nerio doctore, penetrasse ejusdemmet æquitatis famâ in
Gallias seculo 13. item in Hispaniam anno Christi 1220.
cum sub Alfonso Rege in Partitas, ut vocât, digeri cœptum
Justiniani jus, notante P. Pithœo, & tandem pedetentim
etiam in Germaniam. Quod ad nostrum vero institutum
propius facit, ita receptum hoc jus videtur quatenus status
Imperii nostri patitur, hoc est, quatenus nobis æquum est
ad Reip. tranquillitatem. Nunquam leges Germanis do-
mesticæ:

imperiali sublatæ *Lehm. lib. 4. Chron. Spir. c. 21. p. 337.* testantur hoc non solum ea quæ habet Goldast. *parte altera von Reichs-
sazungen p. 99.* ubi Cæsaris Sigismundi decretum, Cæsare præ-
sidente in iudicio cum principibus. ut paribus curiæ quod
Juri Feudali convenit, & pronunciat secundum jus Germa-
num. videatur brevitatis causa de Friderici 2. ætate Relatio
Danawerdana. Besoldus *Thesuro Pr. in voce Fürstenrecht.
Limn. de Jur. P. c. 9. de Potestate Imperatoris n. 32.* Imò ipsa
Ordinatione Camere *p. 1. c. 13.* Assessores Camere judicare
jubentur secundum jura Imperii communia, Constitutio-
nes, nominatim Pacis publicæ & Religiosæ, imò etiam se-
cundum statuta vel leges Provinciales & consuetudines, ad-
dito; hoc esse semper & ab omni Antiquitate Camere ju-
dici assessoribusq; injunctum, juxta juramenti eorum sen-
sum. Quod si hic luberet excurrere posset facile ostendi
multa juris Justiniani capita esse quæ in Germania non ser-
ventur, ut quod Justin. in Nov. 134. mulierem adulteram in
monasterium detrudi vult, *ibid. cap. 13.* furem in corpus pu-
niri vetat pactis hereditatem acquiri non concedit,
quod Jurisdictiones & Imperia Ducum Comitum, alio-
rumque beneficiariorum Justiniano erant personalia offi-
cia, ab arbitrio principis pendentia, quæ apud Francos pri-
mus Hugo Capetus circa annum 987. stabiliendo novo re-
gno fecit Patrimonialia *Hotom. in Franco-gallica c. 16.* & quæ
longè plurima cumulari possent, ea omnia hodiè nostræ,
Reip. alia forma respuit de quibus videndi observatores, ta-
ceo jus totum feudale & quæcunq; inde derivantur Justi-
niano juri contra pugnantia.

58. Quod hinc volumus id rectè sequitur, nullum
ex jure Romano Justiniano Reip. nostræ labem, cum rece-
perint Imperatores & status hoc jus non aliter, quam qua-
tenus suo juri proprio suæq; Reipub. ejusq; legibus funda-
mentalibus non repugnat; id est, tanquam fontem æqui &
boni dextrâ Jcti operâ Reipub. applicandi. nec aliter Jcti
nostri

nostri senserunt: *Jacobus Gothofrædus sing. tr. ad leg. Rhodiam in fin. pulcerrimi operis*: Sic sane, ait, Romanis hodiè legibus utuntur liberrima omnium regna populique, tanquam fonte æqui & boni. Quo qui aliter utuntur; nã illi perquam suaves sunt, parumq; sibi consulunt: cum verso hodiè regnorum, populorumq; statu, in aliam quam Romanum Imperium olim formam, juri Romano non nisi absurdè quisquam sese illiget. *Marcus Lyclama præfat. in librum primum membranarum*: Jure Civili quatenus id recepimus, tenemur. *Mathias Stephani in proæmio Comment. ad Nov. Justin. n. 52. ita ait*: Quin & leges Justiniani, quatenus à moribus nostris non sunt approbatæ, non magis jus nobis facere potuerant, aut nos obligare, quam Leonis Philosophi, aliorum Græcorum Impp. Novellæ, quæ receptæ non sunt. Unde nemo non intelligit nos altero oculo in jus scriptum Justiniani, altero in mores seculi intentos esse, oportere, & præsertim quid in uno quoq; juris articulo in Camerâ Imperiali, tanquam supremo in Romano Imperio judicio, observetur. Idem tradunt Albericus Gentilis tr. de libris Juris Civ. novissime omnium Carpzovius ad l. Regiam Germanæ c. 9. §. 1. ubi explicat textum Ordin. Cameræ p. 1. tit. 57.

59. Et ridiculum est Hippolithum inde ordiri suam in Jurisconsultos invidiam, quod Justinianeum jus nominat. quasi cuiusquam populi summo Imperio detrahat, aut libertati officiat si leges peregrinæ in usum deriventur, sic ut pro regula eæ iam habeantur? Id enim, ut verissimè ait idem Doctiss. Gothof. l. cit. non fit ob vim Imperii, ut cum victis leges dantur, verum ultrò, ob eximiam videlicet eius æquitatem & *εὐνοίας*. Exemplo esse potest Lex Rhodiorum quæ sub Rom. Imperio civitas, & subdita, leges tamen suas maritimas latius diffudit, quam in Monarchiis solet, nec ipsis Imperatoribus invitis vid. Lex Deprecatio. ff. ad L. Rhod. & quæ commentatus ibi Jacob. Gothof.



60. Quod vero addit hic de Doctoribus, Advocatis, Procuratoribus, Notariis, brevius agemus cum eo: aut improbat nomina sola hæc, aut gradus & ordines à Rep. institutos, eorumque officia, aut vitia quibusdam ex his vulgaria. Si primum dicam: Nullas voces, nullas appellationes, nulla nomina, ut addere aut demere quippiam alicui posse eum ad modum, aut non sit idem quaquà versum, qui ante fuit, ut loquitur Doctissimus Gravinkelius *in eleg. libello de jure preced. inter Venetos & Sabaudum*. Cum igitur, ut supra ostendimus Jcti officium Iuris gentium sit, de nomine parum pugnabimus, damus veniam Hippolitho, appellitet Doctores juris aliter, modo parcat honori eorum: cætera, illi puppis non delectantur, quod illorum est, qui virtutis vi destituti, ex inanibus titulorum gloriolam aucupantur. Sin vero displicet ipsi gradus ipse Doctorum, & ordo quem Resp. instituit, facile agnoscunt studiosi juris, eum hoc ab Anabaptistis mutuari aut hodiernis Puritanis dictis, ut solent Politicorum imitatores omnia undecunque corradere, modo exornent corniculam suam rationem status. Certè Orthodoxi Christiani facile assentiuntur Ecclesiam nullis ordinationibus Reip. statum & regimen, eiusque ordinem & *εὐνοσίχλην* concernentibus adversari. qui volet videat Philippum Melanchton. in Apolog. Augustanæ Confess. Quod si vero 3. in vitia quibusdam ex his familiaria debachari voluit, per Iurisperitos licet. Semper scripta est Satyra liberè, ut tamen caveat sibi à famoso libello. Ipsis non modo gratum erit, si poterit corrigere Hippolithus & curare seculum, in quo iam sapientes perdidere operam oleumque; Verum etiam ultrò eo nomine gratias agent, quod amplissimum Ordinem liberaverit ab invidia quam ipsis togati vultures per inhumana vulgi iudicia adfricant.

61. 2. Punctum facio, quod jus allatrat Hippolithus etiam ideò, quòd plurimæ leges sint, ut in corrupta
Repub.



Republ. plurimi legistæ ac jurgia & lites, hinc in publicis
sublestam fidem, deiecti undique ad servitium Imperatoris
animi. Sane vetus hoc est, & jam diu Isocrates monuit
Nicoclem suum, ut quæreret leges in universum æquas,
atque etiam tales quæ & controversias civiū quam paucissi-
mas, & compositiones efficiant celerrimas, disertè vero re-
quirit paucas leges in Areopagitico, idē Plat. in 4. LL. & alii.

62. Quid dicemus? an illud Horatianum:

— — brevis esse laboro

Obscurus fio

quin imò rectiùs eredimus multas leges esse debere & omnia
præstare earum præscripto determinari, quam hominū vo-
luntati relinqui. Non est enim tuta hæc regula ait Aristo-
teles 2. *Polit.* 10. Scilicet omnes videmur nobis lacertæ,
cum vix simus cochleæ, & idem omnes fallimur, nec est
quispiam quem non in aliqua re videre suffenum possis;
suis cuique attributus est error. Inde ea semper tutiora in
Rep. habita, quæ ex aliorum & Sapientum consilio facta, &
multò maximè quæ ad regulam legis. Putabat Isocrates
(quod ex aliis eius libris constat) posse per publicam disci-
plinam ita informari homines, tamque prudentes haberi
judices, ut paucis LL. esset opus. Sed hoc quale sit, facilè qui-
vis videt: Hæc optantur, facilius cum Platone, quam fiunt in
Rep. repeto illud Aristotelis, propius ad naturam nostram
accedens, non est tuta ista regula. Sed illud ridiculum,
quod inferre videtur: sunt multæ leges signum corruptæ
Reipub. E. reiiciendæ. minimè vero Hippolithe. Nam
mali mores hominum occasionem dederunt imò coëge-
runt Remp. ad multas leges ferendas; jubere has abiicere,
est tollere ipsam Remp. signum illæ leges multæ sunt vitio-
rum multorum in populo, ut effectus ostendit causam; le-
ges vero ipsæ non producunt malitiam sed coërcent, & in-
gratiis conservant Remp. Scis quomodo dicatur illud: in-
ventâ lege fraus inventa est quoque. Nempè cum plures

E 2

mali



*in Orat.
pro S. Ros-
sio Ame-
rino.*

mali sunt difficilè est simul & rectè imperare & placere po-
pulo, his qui peccant poenæ severitatem agrè ferentibus,
quam Iustitia præscribit & publica tranquillitas exigit. Lau-
datur Solon quod non perscripserit poenam in parrici-
das, cum excusaret: se id neminem facturum putasse: ni-
mirum ne non tam prohibere quam admonere videretur
Nihilo tamen secius Cicero laudat supra Solonem
Maiores suos Romanos quod cum intelligerent nihil esse
tam sanctum quod non aliquando violaret audacia, suppli-
cium in parridas singulare excogitaverint: ut quos natu-
ra ipsa retinere in officio non potuisset, in magnitudine poe-
næ maleficio submoverentur. Malè profectò, si omnino
paucitas legum præferenda. Sed suave est, si quis ex eo,
quod Ludovicus Vives hac de re ait: maturè satis post scele-
ra rogari Leges, inferat, ergo Justinianeas leges abiiciendas
& iterum expectandum donec nova delicta emergant do-
nec sint altera bella &c. Scriptis legibus vix continentur ho-
mines; Sæpè cum Satyrico quærendum hodiè, ubi nunc
Lex Julia? dormis? Quid putatis sublatis fore, nisi tempo-
rum illorum faciem quo unus erat toto naturæ vultus in
Orbe, quem dixere Chaos. Vitia hominum frequentia &
Epidemica illorum sunt malorum fomenta, hæc nisi tol-
lantur frustra omnis seculi cura cedit, ut Sapientium illo-
rum apud Trojanum Boccacini in relationibus ex Parnasso
labor ridiculus. Notatu dignū est quod ex Radevicol. II. c. 5.
refertur de Friderico primo actum Comitibus Roncaliæ an-
no Christi 1158. *Sequentibus diebus (inquit Radevicus) plenā
atque solenni curia, , iudicio & iustitia à manè usque ad
vesperam intentus Rex, querimonias & proclamationes tam
divitum quam pauperum diligenter audiebat. Habensque
quatuor Iudices, videlicet Bulgarum, Martinum, Iacobum, Hu-
gonem, viros disertos Religiosos & in lege doctissimos, legumque
in civitate Bononiensi Doctores, & multorum auditorum præ-
ceptores, cum his aliisque Legisperitis, qui diversi ex diversis
civita-*

civitatibus aderant, audiebat, discutiebat, & terminabat negotia. Videns autem multitudinem eorum qui cruces bajularent (is enim Romanorum mos est, ut habentes querelas, crucem manibus praeferant) misertus illorum ait: Mirari se prudentiam Latinorum, qui cum praecipue de scientia legum gloriantur, maxime legum invenirentur transgressores, quamquam sint tenaces justitiae sectatores in tot esurientibus & sitientibus justitiam evidenter apparere. Hic Fridericus non legibus sed malitiae Italorum & imprudentiae tribuit, quod leges haberent potius in ore quam in pectore. Uter prudentius & verius Fridericus Imperator, an Hippolithus judicavit, qui id legibus adscribit, quod homines peccant, judicet quisvis.

63. Et tamen in Rep. nostra paucae leges, ut Hippolitho quoque iudice optimè ea se habeat. Nam est Decalogus, lex brevissima & Dei iudicio quoque sufficiens in omnium memoria, docetur, explicatur, inculcatur à pueris. Viverent secundum eam cives, facile carerent disputationibus Doctorum. si non omnibus at multis tamen. Plures leges potius informant Iudicem & Iuriconsultum, & nil aliud quam Decalogum explicant, quod ostendit Matthias Stephani libro de Princip. Iuris. cap. 19.

64. Verum enim vero, si per accidens saltem jus civile Justinianicum reviviscens ansam litibus & occasionem praevisse dicendum esset, adscripserim lubens Pontificibus Romanis totum hoc quicquid sensit exinde Resp. incommodi. Illi quippe cernentes gliscere indies magis civilem sapientiam, & Jctos paulatim etiam subtrahere se ignorantiae & tenebris illis umbratilibus quibus sub religionis specie Pontifices maritabant Orbem Europaeum, audendum contra rati. leges à se latas quibus immensa & impotens illa dominatio Vicaria unice nititur, doceri fecerunt ac defendi. Illis, Interpretibus juris Caesarei, Imperatorum *αἰῶνα* ut par est deprædicantibus; emissariis Pontificiis contra, ex



seruo seruorum obtrudentibus Dominum Dominorum, & si si Diis placet Solem præ Luna Imperatore. Cœpræ istæ concertationes in Italiâ, testes sunt versiculi pro ingenio ævi illius, quibus ann. 1145. in Spirensibus Comitibus Oratores Romanæ plebis, jugi Pontificii pertæsæ, Conradū Cæsarem allocuti sunt, refert Conringius in Præfat. ad Tacit. de moribus Germ.

*Rex valeat, quicquid cupit obtineat, super hostes
Imperium teneat, Roma sedeat, regat Orbem
Princeps terrarum ceu fecit Iustinianus,
Cæsaris accipiat Cæsar. quæ sunt sua Præsul.*

His & similibus Italiam tum vehementer affligentibus, maximè vero Pontificiis coronam petentibus, acerbissimum videbatur Pontifici, cum multum sibi videretur sapere, minimè in posterum esse potentem, ut Herod, in Calliope. Itaque ad id quod dixi Terentianum consilium confugit, quod Ciceroni ad Leut. l. 1. Ep. 9. perplacet:

*Vbi nominabit Phædiam, tu Pamphilam
Continuo: si quando illa dicet, Phædiam in-
tromittamus comisatum; tu Pamphilam
santatum provocemus, si laudabit hac
Illius formam: tu huius contra. Denique
par pari referto, quod eam (Cæsarem hic) mordeat.*

65. Promulgavit igitur & ipse ut divi juris aliquod Corpus, ut tandem pareret quod tam diu in pectoris scrinio gestarat; secundum Helvicum anno 1227. quod simul ac promulgatum est, videtur in Germaniam quoque penetrasse. Et hinc sine dubio litium illa ingens vis, omnia prætextu peccati commissi ad se trahentibus Pontificibus, & plurimas tendiculas ponentibus. quo pecuniæ emungendæ occasio nasceretur, de quo jam olim conquestus vehementer est Ferrariensis in Practica sua. Certe conqueritur idem de Pontifice Gallia; occurrit jam Nicolai Clemaugii Bajocensis Archidiaconi iudicium *de Clementina*

in



in Galliam profectio, constitutioneque sedis Avenione in
lib. de Corrupt. Eccles. Stat. aientis. Ex illo, eum Pontificem
Avenione quanto liberius tanto apertius & impudentius vias
suas Simonie & prostitutionis exposuisse, peregrinosque & per-
versos mores calamitatum inductores in Galliam invexisse.
Hotom. in Franc. Gallia c. ult. verissimè arbitror tantam li-
tium calumniarum & sycophantiarum sementem factam pri-
mùm à Papæ Clem. V. qui Philippi Pulcri tempore Papatus se-
dem Avenionem transtulit: cumque magna ipsius aulici &
pragmatici consuetudine cum hominibus nostris implicarentur
semina Romana artis Rabularia in mores nostros sparsisse. Sci-
licet tendebat hæc litium seminatio, hæc corruptio juris,
eodem quo corruptio puritatis doctrinæ Christianæ, scili-
cet ad monstrosam illum semihominem, semiDeum Pon-
tificem efformandum constituendumque Monarcham o-
mnium creaturarum ex cap. illo detestabili unum sanctam.
Extravag. lib. I. de Maior. & obed. Unde veterum quere-
llæ illæ; postquam decretis accesserunt alæ, res mortalium
in pejus sunt prolapsæ, tantoque inclementius, postquam illæ
è Clementis nido in fundum Imperatoris sunt extravagatæ.
Verbo, quod Erasmus ex August. Comitiis olim scripsit de
Cardinalibus, Hac ratione suas res communiebat Pontifex.
Nec miretur quispiam Pontifices ob regnandi libidinem
sanctissimam legum scientiam corrupisse, cum ipsa Divina
Sacratissima Mysteria eadem ex causa stupraverint, ut Me-
lanchton ex Gabriële recitat; inter ceteras rationes fraudan-
ti Laicos à Pontifice Sacramento calicis, quia fuerit discrimen
inter hos & Presbyteros faciendum, ut dignitas ordi-
nis religione quadam fiat commendatior, quod quo spe-
ctet facilè judicari potest.

66. Et de his forte litium seminatoribus ex Latera-
nensi scolâ prodeuntibus intelligendus Ludovicus Vives
lib. 7. de disciplinis corrupt. ubi agit de Jctis qui in Comi-
tatu, Beatrices Neapolitanæ Regi Matthiæ desponsatæ, acces-
serant



serant in Pannoniam, quod omnia novis formulis movissent, regno pulsus. Nam de nostro Jurisconsulto, quem ante omnia virum bonum volumus, quique & aliuse esse non posset, tale quippiam timeri non potest. Nam ex ante dictis satis constat, nostros leges non ferre, sed quæ ubique sunt, ad salutem regni cuiusque interpretari. Ut calumniæ proximum sit quod porro hic ait; fidem sublestam factam ex veteri & sincera & Germana. Sanctitas juris nostri id totum facile defendit cui nihil ante fidem meritò est, & esse debet. Tertio jus & leges antiquas si statum præsentem reformare vellent, pellendas esse, quod vult Hippolitus, & ipsi facilè dicimus; à nostris autem nihil hic periculi, ut ex ante dictis constat.

67. Et fatetur tamen ipse noster Censor multa in legibus Justiniani reperiri quæ juri naturæ consentanea formando statui nostro statusq; rationi adminiculentur, & ipse adhibet è nostris multa. Sic oppugnabant olim Sophistæ Rhetoricam & Eloquenriam armis ipsius Eloquentiæ & viribus. Quod Quintilianus in illis ridet, nos in Hippolito. Nisi si forte putat, neminem præter se unum tenere illam utilissimam artem rectè excerpti. Sed non abs re erit, si hic digrediamur breviter saltem ad illam quæstionem, quæ hinc non plane aliena, an sc. Jurisprudentia nostra sit Encyclopædia? Id voluisse videtur Maximus Tyrius diss. 37. verba ex eo refert *M. Lyclama lib. memb. 7. Ecclog. 38. hæc. Offertur vobis magnus disciplinarum apparatus ô Iuvenes. Nec simplex ille, sed diffusissimus amplissimus, uberrimusque: qui ab omnibus adiri potest, ad omnes cuiuscunque generis pertinet homines, omnia artium studia, omniam disciplinarum sub se complectitur genera: hic largè, hic gratuitò citra tergiversationem ullam, maxima vobis præbetur copia; omnibus, qui modo capaces eius futuri sunt, in medio proponitur. Oratoria aliquis studiosus est? ecce via expedita, sufficiens, facilis, sublimis, admirabilis, nusquam interrupta, firma, non inquinata.*

Poeti-

ven aliquis amplectitur? Metra solummodo aliunde sibi com-
paret, reliqua hinc petat. Sublime illud in Oratione dico, illu-
stre, splendidum, fecundum, divinumque. Etiam dispositio
argumenti, fabula constructio, vocum ubertas, minimeque vi-
riosahinc proveniet harmonia ratio. At civilis potius te scien-
tia delectat, viamq, quã commodissimè tractes populum, inve-
nire te postulas? Entibi rem ipsam, curiam ante oculos Orato-
rem, suadam dicendi & verborum vim vides. Sed negan-
dum omnino est. Patet ex supradictis studiosum juris nec
alias disciplinas negligere debere, nec posse, si velit officio
suo & fini se recte atque ordine parare. Maximi Tyrii elo-
gium Jurisprudentiæ Justinianæ, vel saltem illud significa-
re voluit, esse Jurisprudentiam Philosophiam potissimam,
purgatam, alienamque à fabulis. §.3. Instit. in Procem, dare
apparatum uberrimum diffusissimumque aliis disciplinis,
vel quidlibet aliud. Artes alias in ea tradi non præsumi-
tur sensisse, quia non dixit Tyrius arg. l.7. in f. ff. de sup. leg.

68. Sed nec illa prætermittenda inquisitio est, an jus
Justinianum sit jus gentium, seu; an jus Gentium ex illis li-
bris solis hauriendum? Certè ipse Hippolitus fatetur multa
in illis legibus reperiri quæ juri naturæ consentanea. Et
videtur illud asserere Albericus Gentilis de jure belli l. 1. c. 3.
verba eius ad hoc citat Seldenus lib. de dominio maris primo,
c. 24. Ius illis Justiniani libris præscriptum non civitatis tantum
esse, sed Gentium & Naturæ; & aptatum sic esse ad naturam
universam, ut Imperio extincto, ipsum ius diu sepultum, sur-
rexerit tamen, & in omnes se effuderit gentes humanas: Ergo
& Principibus stare; & si est privatis conditum à Justiniano.
At enim etiam hoc negamus. Sunt multa quidem in legib.
Justinianis quæ juris Naturæ & Gentium, sed non omnia:
sunt & in aliarum Gentium moribus, quæ apud Justinianum
vel non habentur, vel contraria habentur, & apud Justinia-
num quædam juris positivi tantum. E. G. capti in bello non
fiunt servi, nec jura captivitatis aut postliminii, quoad per-

F

sonas



sonas hominum, omnino in usu gentibus Europæis plerisque invicem in usu sunt hodie, quæ tamen titulum occupant in Dig. Ita bona naufragorum ex multarum harum gentium jure ipsis vicinis interveniente, sæpè pro consuetudinis varietate Fisco applicata esse, certissimum ait ibidem Seldenus apud Anglos, Armoricos, siculos, & c. Balenæ etiã aliq; pisces grandiores in littus ejecti, non occupantis fiunt ex jure Anglorum, Lusitanorum aliorumq; , sed Fisci sunt, aut quibus Princeps indulserit. ibid. Nec plura addo, saltem ut liberem Gentilem videtur alia mens ejus esse, quàm illis verbis Doctis. Seldenus tribuit. Scilicet quærit ille loco cit. Cur Philippus Hispaniarum Rex de jure suo in regnum Lusitanæ noluerit judicio cum eorum ullo contendere, qui sibi in illud regnū contendebant jus esse potius? Et cur Pontificem quidem non admiserit, tradit rectè. Philippum noluisse additum antiquis exemplum quo arbiter Regnorum Papa affirmaretur. Alios cur non admiserit arbitros, taxat ibidem Gentilis Consiliarios Regios de nova, & Hippoliti ingenio cōvenienti, sententia; ait enim illos negasse Jctos admittendos aut adeundos in hujusmodi Principum quæstionibus, quia jure Gentium istæ, nō subtilitatibus & fictionibus juris Justiniani civilis regendæ sit. Hoc esse jus ab Imperatoribus conditum litibus privatorum. Plane gemina his quæ hodie movet Hippolitus ut videtis. Sed eos deridet ibidem Gentilis his verbis: Periti antiquitatum viri, qui supra vulgum sunt Legulejorum, ita censuerint in eâ quæstione successionis regni Lusitanici, quod de repræsentatione Parentum dicebatur aut pro Farnesio aut pro aliis contra Philippum, id esse ab inventis Justiniani, atque adeò non posse hodie has finire controversias, cum easdem finire antea non potuissent, quando nec erāt, ut disputent Philippici. *Ceterum ridiculos vocat; & subjungit: Jurisconsultos nec concludi libris Justiniani, ut nec libris Galeni Medici, nec libris Aristotelis Philosophi.* Postea adjicit illa verba quæ Seldenus supra excerpfit, sed statim post ait: non desisse gentium aut Naturæ jus esse, postquam expositum est civitati.

civitati. Sed ut quod civile est, non idem continuè est gentium; sic quod gentium est, idem & civile esse debere. Satis hinc patet, quid voluerit illis verbis Gentilis, idem, ut puto, quod nos supra: multa in jure Justiniano esse quæ gentium juris sunt, ea, nisi ratio naturalis aliud apud nos induxerit, apud nos etiam valere. Imò porro ait: si nihil proprium civitatis ostendi possit, illud jus à publicarum rerum disceptationibus tolli non posse. explicat se: quid? Non apta principibus illa librorum Justiniani: Honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere, liberos tueri, injuriam propulsare, cum omnibus hominibus cognationem agnoscere, commercia retinere, id genus alia. quod ad jus repræsentationis respondet; non esse propterea novellam æquitatem quod leges 3. C. de suis & legit. & 3. C. de legit. hered. cum auth. subj. sint novæ. Etenim edicta Prætorum novella fuisse, & tamen secuta naturalem æquitatem supra veteres leges. Justinianum leges suas simplicitati aptasse & naturæ. tandem ait: *Commentitia subtilia Justiniani non sequimur, nec si appelletur jus civile. Et jure consulti tamen, ne nesciamus, per hac norunt æquitatem, quæ queratur adhuc melius, dum norunt utrumq; contrarium.*

69. Hisce eadem fideliâ duos me dealbasse puto parietes, & explicasse mentem Gentilis, & pleraq; quæ contra JCtos præterea strepit Hippolithus, satis refutasse, quæ secunda pars propositi erat. Intelligis Hippolithe ex descriptione nostra superiori JCti, & hæc Gentilis disputatione JCtos arcanis Politicorum consiliorum recessibus jure adhiberi, quod etiam fecere semper magni Reges, quibus justitia libidine potior fuit, ne longior sim, remitto te ad Historicos & Gentilem d. l. 1. c. 3. in pr. novissimè Stradamp. 1. lib. 6. & part. 2. lib. 2. & alibi, deinde quod reprehendis post quinquennium absolutum citato cursu ad Remp. multos tendere, id si digni sunt, & ut supra dictum, Philosophis, Politicis, Historicis, quosq; primo nominare debebam Orthodoxis Theologis se probaverunt, non improbo, imò jura non refragari puto. v. Ordin. Camerae p. 1. t. 3. §. auß demselben. sin inepti sunt etiam post quinquennium, viderint, ne Malum consilium consultori pessimum sit. Sed quid hoc contra ordinem totum faciat? Etiam propter avium copiam non negligunt agricolæ sementem facere.

70. Ita non minus hinc patet allegationes ex Jure Justiniano & Doctorib. Italis quatenus sint probandæ? Nam & hoc objicit Hippolithus: Fateor sanè peccari à plerisq; in allegationum ni-



miã cumulatione, & sæpè impertinente de qua re Ehemius in li-
bello de principiis Juris lib. 4. c. 4. cui quod semel hic dixisse suffi-
ciat, multum ex hoc discursu debemus. At huic vitio jam remediũ
quæsitivum Ordinatio Camerae p. 1. tit. 10. in pr. & tantum non est sce-
lus, ob quod debeant Jcti solum vertere. Cicero lib. 3. de LL. ait: Ini-
qua est omni in re accusanda prætermittis bonis, malorũ enume-
ratio, vitiorumque selectio. Nam isto quidem modo vel consula-
tus vituperabilis est, si Consul, quos enumerare nolo, peccata
collegeris, sed bonum quod est quæsitum in eo, sine isto malo non
haberemus. Et ex quã hodiè disciplinã hic non peccatur! Profectò
verum est, quod ajunt; Nullum remedium est contra sycophantæ
morsum.

71. Sed videte candorem hominis, fatetur ipse non omni-
bus Jctis se hanc maculam aspergere, esse inter eos, etiam inter ju-
ris Doctores, sed oppidò paucos, quib. de meliore luto finxit præ-
cordia Titan, sed hos multitudine aliorum superari. Optandum
itaque ut perferatur tandem lex, quæ Friderici 3. temporibus sub
incude fuerit, de Jctis tam à privatis judiciis quam publicis comi-
tiis pellendis.

72. Profectò istæ sunt, nisi me animus vehementer fallit,
ἔτε γῆς φασὶν ἔτε ἕγενῆ ἀτόμενα. Ut audio non prodest esse probum,
doctum, disertum, non peccare in his quæ meritò reprehendat qui
doctum habeat

generoso pectus honesto.

pellendum tamen Rep. esse, modo Jcti nomen possideat. hoc est,
quod antea dixi Jctos *περίφασιν* esse. Et tamen de Friderici tempo-
ribus tentatã ejectione non ita manifesta res est, audiamus hac de
re Conringium (Nam libenter aliis quam Jctis testibus hic utor)
in c. 33. lib. supr. cit. Habet, ait, Goldastus part. 1. Reichs-satzungen. p.
166. tractatum cujus modo meminimus hoc titulo: *Keyser Friederichs
des dritten Reformation im N. Röm. Reich Teutscher Nation
fürgenom̄en vnd proponirt auff dem Reichstage zu Mainz anno D.
1441.* Illum ab ipsomet Friderico Cæsare ordinib. propositum esse,
multis autographis doceri posse censet Goldastus p. 312. mox tamen
sui imemor, vult à Germaniæ urbib. in medium adductum esse, in
comitiis Regni Germ. Neutrum ego asseruerim equidẽ. hætenus
Conring. ejus libelli artic. 5. omnes Jctos à judiciis & consiliis
principum quam longissimè removet. Sed quomodo intelligen-
dum sit longa declaratione per partes deinde exponitur, & qui-
dem hæc pars de quã nos agimus ita declaratur: quod scilicet

in omnibus licitis Germaniæ Academiis in quibus creentur Do-
ctores juris, debeant 3. Doctores publico stipendio alii qui jura
verè fundata constitutaque doceant exigantque nec alia ulla. neq;
abduci se patiantur longius quam quatenus in Imperio ordinatum
statutumque est, qui & responsa in causis dubiis reddere tenean-
tur, &c. ex quibus facilè patet, si unquam quid tale decretum,
quod pernegamus tamen, pertinuisse saltem ad illos, qui ex Italia
disputationes & altercationes Canonicas & Pontificias, aut aliena
peregrinaque jura sine judicio inferrent in Remp. nostram, aut qui
ex nostris (seri studiorum scilicet) Italorum Jctorum Pontificis
affectaræ monstrosæ potentiæ oppositas assertiones malè intelli-
gentes, ad nostrum statum vitiose applicarent. cuius aliæ leges
fundamentales, aliud jus, alia forma, quique adeò fingere nite-
bantur statum Reip. ad leges cum contra se habeat ut supra dictum.
Sed hic error, quod facilè apparet non tam juris est, nec verorum
Jctorum, quam eorum qui Jctos mentiebantur. Verissimum
erat Imperatorem in Italia Monarcham esse, ut quam sæpissimè
Germanorum arma subegerant, unde illi Jcti contra Pontificem
non ineptè argumentabantur pro Imperatore, sed qui hæc, quæ
in provincia certa erant, ad liberas Germanorum civitates & prin-
cipes per pulcerrimam mixturam de Majestate Aristocraticè parti-
cipantes malè accommodabant fortè, si certè rem non tetigerunt
acu, errantque adeo omnes qui horum simplicitatem sequuntur.
Sed quid hoc ad Dionysium? nostri jam dudum posuerunt hanc re-
rum civilium ignorantiam. Ipse Conringius per iniqua & longè
durissima reliqua capita declarationis illius censet, quibus omni-
bus judiciis & foro pelli minuitur Scriptor illius declarationis. Ut
supra etiam indicatum, putatque Jctos istud quicquid est acce-
ptum ferre debere rabulis Pontificiis, maximè cum primorum qui-
dam apud nos juris Doctorum in Italia educati sint. Ut mirum
non sit scabiem Aulæ Pontificiæ illorum multis adhæsisse; quin ex
Italis ipsis tum nonnullos in Germaniam transisse, ut Bogislaus
Pomeraniæ Dux adduxit secum Petrum Ravennatem eiusque fi-
lium Valentinum &c. Cæterum, ait poro Conringius pro Jurisconsul-
tis, ut ut illi peritorum Romani juris Ordini quadam fuerint permista tum
Vilitigatoria ingenia, non tamen paucorum vitio totus sanctissimus aliàs
Ordo proscribi meruit. Et vero quid vel Romani vel Pontificii juris peritia
bonis consiliis obstat, vel judicandi prudentia? Sane omni ævo visum pru-
dentioribus eum ad Remp. utilissimum, qui Vlyssis Exemplo.

Multorum mores populorum vidit & urbes.

Taceo nunc, eâ tempestate commodè Remp. nostram geri non pötuisse sine legum illarum notitiâ. Saltem ob aulæ Pontificiæ etiam in media Germania auctoritatem, & Italiæ Galliaque viciniam, quæ jam leges illas observabant. Omnis hominum ordo sua carcinomata habet. Ipse sanctissimus Apostolorum coetus scelus ingens intra se aluit. si paucorum crimen in omnium culpam trahendum est, actum profecto est de genere humano. His doctissimi viri verbis planè absolvuntur Legistæ rumpantur ut Ilia Hippolitho. nec verbum addo, dicta causa est. nec enim reliquæ responsionem merentur quibus Jctis irascitur potius quam oppugnat, dum vocat per Ironiam scilicet Atlantes qui cælum politicum sustineant juridicâ suâ scientiâ, rabularias artes & stratagemata tractantes. quid enim tam sanctum est quod calumniæ vitare possit?

73. Unum superest de Indoctis & Idiotis, anne fortè his dijudicationes & disceptationes circa id quod justum est relinquendæ, ut voluit declaratio illa à Goldasto obtrusa pro reformatione Friderici, verba eius sunt: *Aber der Löw behelt den Schlüssel zum Rechten / daß man zu zimlicher Zeit das Recht herausbringen mag. Auß dieser Ursachen kan man die Gelehrten in keinen Rechten mehr leiden.* Et hac enim ossa objecta videtur Hippolitus tentare Germanos, ut credant fortè facilè, se omnes sapientiâ ad Gurgulionem usque impletos esse, non aliter ac Virgilianus ille Pastor

Me quoque dicunt

Vatem Pastores. Verum ibidem sequitur:

Sed non ego credulus illis.

Respondeo breviter: Illum meliorem esse, sententia Galeni est, qui minus errat. possunt & imperiti artium aliquid efficere, sed non rectè, sed fortuito, sed temerè. artifex contra finem suum contemplantur, idonea media & instrumenta comparat, denique sine, vel minori cum errore efficit opus; quod rationem adhibet regulam normamque quâ usus & opportunitates, & res & tempora rerum diiudicet, quâ qui carent, in varios & inexplicabiles errores incidunt necesse est. Igitur tenendum illud firmiter est quod Socrates Euthydemo: *Stultum esse (inquit) arbitrari, non posse quem prestare in vilissimis artibus, ni idoneos sit magistros nactus; gubernandæ verò civitatis notitiam sponte suâ & ultrò hominibus obvenire.* Imò longè majore id cum Reipubl. damno conjunctum esse existimandum est, si

quis

quis ineptus hanc lyram tractare audeat, quam si quis ut dicitur, figulinam in dolio discat. Profectò Plato in Politicis omnes imperitos rebus publicis præpositos reverà non civiles, sed seditiosos viros vocat, larvarumque ingentium præsidēs, imò larvas ipsas & simias maximas, maximosq; præstigiatores, Sophistarūq; Sophistas. Tandem ubique reprehendit in Jctis quod nimium tribuant anti- quis legibus carminibus (ut ille putat) Romanæ Servitutis, hisque præparent animos ad servitium Imperatoris. Hoc nimirum est quod jam tertio, dico Jctos prætendi regnum peti. Scilicet eadem modestiâ quâ funditus eversam vult Domum Austriacam, oculum Germaniæ dextrum; quod ille Gentilium olim in Græcia ausus non est. ἀνθρώπε μὴ κλείνε κροῖσον. Non tam Minervæ apud Sophocl. Ajace, quàm ipsius sapientiæ vox est.

ὑπέροπον
 μηδὲν πολ' εἶπης αὐτὸς εἰς θεὸς ἔπειθε.
 μηδ' ὄρκον ἄρης μηδὲν, εἴτιν' ἔπλεον
 εἴχειρ' ἔβριθεις, ἢ μακρὸν πλῆτε βάρει.
 ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν
 εἴπαντα τ' ἀνθρώπεια, τὸς δὲ σώφρονας
 θεοὶ φιλεῖσι, καὶ συγγασίλους κακούς.

Remp. salvam præstabunt post Deum Principes Viri. Sed Imperatori servire libertas est, cuius definitio jam vetus & recedens, esse naturalem, facultatem eius quod cuiq; facere libet, nisi quid vi aut jure prohibeatur. Instit. de jur. pers. Ex qua apparet, esse designata quædam bona non tantum utilitatis causa, sed etiam honestatis simul & officii ex obedientia debita præstandi nomine secundum jubentis (sive Deus sit is, seu homo legitimam habens potestatem) mentem amplexanda observandaque Seld. de jur. nat. c. 4. Et ergo Imperatori servire libertas est non servitium. Sed Hippolitus fortè mavult Remp. nullam esse, & talem statum potius ubi εἰδὲς εἰδὸς εἰδὲν ἀκέραι ut Arist. alibi. Quid v. his novis Politicis debeatur velim judicent cordati ex præjudicio Curia Pariensis, quod refert Gramondus hist. lib. 15. Est quidem illa historia de Jesuitis, sed non illi soli hostes Rerump. sunt, verum sæpe ipsi Rationum status scriptores, ut facilius fallit, quod minus erat verisimile, ubi minus cavemus. Quos hic referre possem Campanellas

aut maculati nomine notos
 Velleris.

Unum



Vnum Hobbes hic præterire non debeo, qui ut ferax hoc seculum novatum o-
pinionum est in tract. de Cive, hanc incivilem foveat sententiam sub tit. libertas
num. 14. Potentiam certam & irresistibilem jus conferre regendi imperandique
in eos qui resistere non possunt, in statu hominum naturali. Quid hoc aliud est,
quam ex dominandi libidine justitiam metiri & Remp. tanq. rem nullius occu-
panti proderet. Nimirum illud ipsum est perquam modestum Latronum disterium

Nam si violandum est jus, regnandi gratia

Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Aristoteli certè longè alia mens, non abhorrens à justitiæ & æquitatis juris no-
stri regulis quam eruimus ex 7. Polit. c. 3. ubi clarissimè neminem de seipso vult
statuere, honestum aiens esse, ut pro sua quisque parte imperet. Quod n. simile &
æquale similibus & æqualibus non, sit à natura alienum esse. Nihil a. eorum quæ
à natura aliena sunt honestum esse. Διὸ καὶ ἄλλοις τις ἢ κρείττων καὶ ἀρεστὴν ἢ
κατὰ δύναμιν τὴν πραγματικὴν τῶν ἀρίστων ἴετω καλὸν ἀκολουθεῖν, καὶ ἴετω
πεῖθεσθαι δίκαιον. Vbi relictis Interpretibus, quos tamen non improbo, magis
arridet explicatio verborum δύναμιν πραγματικὴν, quam suppeditat Franc. à Vi-
ctoria in prælect. Theol. de potestate civili num. 7. Remp. à Deo concessam habere
potestatem gubernandi seipsam administrandiq., omnesque potestates suas in
commune bonum dirigendi, quod sic probat; Nam cum de jure naturali & divi-
no est aliqua potestas gubernandi Remp. & sublato communi jure positivo & hu-
mano, non sit major ratio, ut potestas illo sit in uno quam in altero: necesse est, ut
ipsa communitas sit sibi sufficiens, & habeat potestatem gubernandi se. Si n.
prius quam in civitatem homines convenirent, nemo erat aliis superior, non est
aliqua ratio, cur in ipso cœtu seu conventu civili, quisque sibi super alios potesta-
tem vindicet. Maximè cum quisque homo jure naturali habeat potestatem
defendendi se, nihilque sit magis naturale, quam vim vi repellere &c. Ex quibus
verbis tentari posse puto, rum demum dicendum jure naturali actu potenti u-
num aliis imperare, & jus capeffendæ Reip. habere, cum ei Resp. penes quam est
potestas sui regendi, hoc jus concedat tradatque. Et hoc Aristotelem per
δύναμιν πραγματικὴν intellexisse, quod expresse justitiam requirit, & præterea
hanc potestatem. Si tamen aliter explicare quis ea verba maluerit, litem non
movebo. Sufficiat mihi hac vice ICtos liberasse ut puto, ea qua traducere eos
nifus est, macula, maculatio ipse Hippolitus, concludam verbis Lipsii, quem ille
pro se citavit, sed pateat hunc etiam nostrum esse, in poematibus sc. suis ad Theo-
dorum Levvicum, postquam causidicos proscidisset contumeliis, dixissetque
inter alia.

Cives & totas cum civibus abstulit urbes.

Regnandi cacoethes, amorque abnormis habendi.

Addit postea honorificum hoc judicium,

— — Si quis Cuiacius audit

Iustitia Interpres verus rigidusque Satelles.

Iure hunc mirer ego, secter quoque. Mucius olim

Qualis, Sulpitiusque boni Paullusque fuerunt:

Cura quibus lites excindere, non ut nostris,

Differere, & longo causam producere seculo.

Nimirum Causidicina rabularia & vitilitigandi studium semper officere offi-
cientque Jurisprudentiæ.


DEO SOLI GLORIA.


FINIS.

X 2615934

WOM







Bono cum Deo
DISPUTATIO JURIDICA

De

1649/14

DEFINITIONE ET
NECESSITATE ICTI,
EX PRINCIPIIS JURIS NA-
turae & Gentium,

Ad

*Profationem Hippolithi à Lapide, libri,
cui Titulum fecit; de*

RATIONE STATUS

Quam

PERMISSU NOBILISSIMI AMPLISS.
JCTORUM ORDINIS

*Impetrandis Sacratiss. Imperatorum in Juris Studiosos
beneficiis privilegiiisque*
P. P.

Calend. Decemb.

GEORGIUS MELCHIOR THILO.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS PHILIPPI MÜLBI,
ET JOSIAE STÄDELII,

Anno M. DC. XLIX.

